DE VIRIBUS IMAGINATIONIS TRACTATUS,

Authore

THOMA FIENO

Antverpiano,

Serenißimorum Belgii & Bavariæ Ducum quondam Medico Cubiculario.

Editio nova.

UNIVERSITY
St. B. 4.

LONDINI,
Ex Officina ROGERI DANIELIS.
cIↃ IↃC LVII.

BODLEIAN
25 NOV 1937
LIBRARY

Serenissimo Principi

ERNESTO,

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, S.R.I. per Italiam Archicancellario & Principi Electori, Episcopo Leodiensi, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, Westphaliæ, Bullonensi, Marchioni Francimontensi, Comiti Lossensi, Hornensi, &c. Domino suo & Mecœnati plurimum honorando.

TAnta humanitate habitus fui ab inclyta Domo Bavarica, cum in ea versatus fui, tot signis honoris & benevolentiæ à te affectus quando ex Bavaria in Belgium tecum iter feci, Sereniſſime & Excellentiſſime Princeps, ut valde impudens & ingratus sim, si ea tam cito oblivioni tradidiſſem. Verum tantum abest ut ita fecerim, ut potius repetita frequenter memoria ea altius altiusque quotidie animo insculpserim, nullis vitæ meæ diebus delenda. In signum illius, & tesseram grati animi mei,

offero Celsitudini Tuæ hunc libellum; rogans ut eum benignis oculis adspicere, & cum à graviſſimis Imperii & ditionum tuarum curis quandoque reſpirabis, etiam inſpicere & legere non dedigneris. Munus parvum eſt, ſi libelli molem inſpicias; aliquale, ſi ſubjecti jucunditatem & ſublimitatem. Qualecumque ſit, defectum ejus partim Tuæ Celſitudinis humanitas, partim mea optima voluntas, & erga Tuam Sereniſſimam Celſitudinem humillima obſervantia ſupplebunt. Elegi materiam hanc, quod Philoſophica ſit, & ex intimis naturæ arcanis eruta; non ignorans Celſitudinem Tuam Philoſophicis ſtudiis apprime eſſe imbutam, & abditorum ejuſmodi naturæ operum conſideratione plurimum delectari ſperans proinde eam majorem ex illa, quam ex *Medica* aliqua aut Practica materia, voluptatem eſſe capturam. Plurimum mihi gratulabor, ſi intelligam laborem meum

Tu

Tua Celsitudine probari; in cujus solius limatissimo judicio conquiescens facile omnium invidorum oblatrationes contemnam. Sin minus, confido eam pro solita sua humanitate saltem conatum non improbaturam; & insufficientiam rei difficultati, quæ vix ingenio humano penitius investigabilis videtur, facile adscripturam. Interim me antiquæ Tuæ Celsitudinis benevolentiæ humillime commendo, Deum rogans, ut eam Imperii & Reip. Belgicæ quieti, & Catholicæ religionis incremento quam diutissime incolumem servet. Lovanii, IV Septembr. M DC VIII.

Tuæ Serenissimæ Celsitudinis

Humillimus Cliens

THOMAS FIENUS.

In Librum Clarissimi Viri

D. THOMÆ FIENI

Medicinæ Professoris

IAMBICUM.

FIENUS, *ille, quem vocarat Bavarus*
Nuper, recenter Principes hi Belgicæ,
Primam cathedram qui Lovanii obtinet,
Caligino sa nube cum vidit tegi,
Silentiove præteriri ab omnibus,
Quid possit, in prægnantibus potissimum,
Causamque, cur Imaginatio, in modum
Vel Protei vel Polypi, differmiter
Formet notetve pendulum solummodo
Ex umbilico fœtum, & intimam hactenus
Physin latere tam stupendi ænigmatis;
Suscepit in se serio provinciam
Enucleandi quidquid in scholis Sophi,
Quidquid Galenus, & quod Arabes docent
De viribus Phantasiæ; dilucide
Educit hinc conclusiones solidas,
Et quæstiones explicat: Fœtus biceps,
Puerve duplex unde & hærens invicem?
Affectuumque matris insolentium,
Desideratæ vel rei notam gerens?
Præscindit ergo, veritatem hanc eruens,
Noster FIENUS *omnibus monstris viam;*
Simulque vulgi ineptientis omina,
Docendo causas, monstrat esse anilia.

F. S. M. D.

NO-

NOMINA AUTHORUM
qui in hoc libro citantur.

A.

Ælianus.
Aëtius.
Agrippa.
Albertus Magnus.
Alexand. Aphrodisæus.
Alexander Trallianus.
Algazel.
Alkindus.
Andræas Cataneus.
Andræas Laurentius.
Antonius Benivenius.
Archangelus Picolomineus.
Argenterius.
Aristoteles.
D. Augustinus.
Avicembron
Avicenna.

B.

Balduinus Ronssæus.
Bannes.
Bartholomæus Medina
Bartholomæus Pisanus.
Bartholom. Vasquez.
Bayrus.
Bonamicus.

C.

Cajetanus.
Cardanus.
Christophorus à Vega.
Chrysostomus.
Cicero.
Citadinus.
Codronchus.
Cœlius Aurelianus.
Cœlius Rhodiginus.
Columella.
Conciliator.
Conimbricenses.
Cornelius Gemma.

E.

Erasmus Roterodamus

F.

Fernelius.
Ferrarienſis.
Fonseca.
Francis. Picolomineus.
Fulgosius.

G.

Galenus.
Gartinaria.
Geneseos liber.
Gentilis de Fulgineo.
Gregorius de Valentia.
Guilielmus Paradinus.
Guilielmus Parisiensis.

H.

Heliodorus.
Hercules Saxon.
Hesiodus.
D. Hieronymus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.

I.

Iacobus de Forlivio.
Iacobus Horſtius.
Iaſon Pratenſis.
Ioannes Baptiſta Sylvaticus.
Ioannes Coſtæus.
Ioannes Langius.
Iſidorus.
Iulius Scaliger.
Iuſtinus Hiſtoricus.

L.

Levinus Lemnius.
Libavius.
Lucianus.
Ludovicus Mercatus.
Ludovicus Vives.
Lycoſthenes.

M.

Marcellus.
Marcellus Donatus.
Marcus Damaſcenus.
Marſilius Ficinus.
Martinus Delrio.
Michael Medina.
Munſterus.

N.

Nicolaus Florentinus.

O.

Olaus Magnus.
Oppianus.
Ortelius.

P.

Paracelſus.
Paræus.
Paulus Venetus.
Peramatus.
Pererius.
Petrus Meſſias.
Philoponus.
Picus Mirandulanus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponatius.
Pomponius Mela.

Q.

Quintus Serenus.

R.

Rodericus à Caſtro.

S.

Schenckius à Grafenberch.
Seneca.
Solinus Polyhiſtor.
Soranus.

T.

Tartaretus.
Themiſtius.
Theodoretus.
D. Thomas.
Thomas Eraſtus.
Thomas à Vega.
Toletus.

V.

Valeſius.

W.

Weynrichius.
Wyerus.

Z.

Zabarella.
Zoares.

INDEX

Quæſtionum hujus libri.

QUÆSTIO I.

AN anima habeat vim agendi in ullum corpus.

II. *In quæ corpora agere poſſit, & qua actione.*

III. *Per quas potentias illos motus & actiones exerceat.*

IV. *An anima agat aliquid per potentiam imaginativam.*

V. *An phantaſia poſſit ullum corpus movere localiter.*

VI. *An poſſit alterare.*

VII. *An phantaſia poſſit vim ullam acquirere ab influxu cœlorum.*

VIII. *An ergo phantaſia nullam habeat vim agendi.*

IX. *Per quas potentias phantaſia corpora immutet.*

X. *Quid poſſit in corpus proprium*; & ſpecialiter, *An poſſit in eo creare morbos.*

XI. *An poſſit morbos curare.*

XII. *Quid poſſit in alienum externum.*

XIII. *Quid poſſit in alienum propinquum ſeu fœtum.*

XIV. *Quomodo & qua ratione fœtum immutet.*

XV. *Quomodo poſſit conformatricem dirigere.*

XVI. *Quænam imaginatio habeat illam ſignan-*

nandi poteſtatem, quæ non.

XVII. *Cur non omnis imaginatio, quam animi paßiones ſequuntur, ſignat.*

XVIII. *An omnes animi paßiones ſignent.*

XIX. *Quænam imaginatio ſignet; an tantum Matris, an etiam Patris.*

XX. *An etiam Brutorum imaginatio ſignet.*

XXI. *Quo tempore ſignet; an tantum graviditatis, an etiam conceptus.*

XXII. *Quantam permutationem poßit in fœtum inducere, & quas ſignaturas poſſit cauſare.*

XXIII. *Cur phantaſia non ſemper imprimit in fœtum res imaginatas eodem modo, ſed ſæpe tam diverſis.*

XXIV. *Cur non eidem ſemper parti, ſed diverſis nota inducuntur.*

DE

DE VIRIBUS IMAGINATIONIS TRACTATUS.

UT materiam de vi Imaginationis, quam tractare aggredior, & de qua multi varia scripserunt, perfecte & dilucide explicem; videor mihi à primis principiis exordiri, & quæ sit animæ in corpus Proprium & Alienum potestas, & quibus instrumentis eam exerceat, investigare debere. Alioquin non posse clare demonstrari, quantum & quomodo Phantasia agat. Etenim ipsa non est primarium & principale agens eorum quæ per illam fiunt, sed anima: ipsa autem tantum est animæ potentia & instrumentum. Ut autem sciatur quantam vim habeat instrumentum, sciendum quantam vim habeat ipsa causa principalis, quæ illo utitur, & qualiter, & ad quem effectum illo utatur. Sic enim, an, & quomodo, & quid valeat efficere, erit manifestum. Sequar autem in docen-

docendo modum Philosophorum: partim, quia hæc materia est multum philosophica; partim, quia ille modus est inquirendæ veritati convenientior. Ponam itaque quæstiones aliquot, & adjungam conclusiones pro opinionis nostræ declaratione necessaria. Sit itaque

QUÆSTIO I.

An anima habeat vim agendi in ullum corpus.

VIdetur autem quod sic. Primo; Quod est, potest operari; nam omne ens est propter operationem: anima est ens: ergo potest operari.

Secundo; Animæ sunt datæ potentiæ activæ: illæ non sunt, nisi propter operationem: ergo.

Tertio; Anima est forma: formæ competit operari; nam forma est natura, natura autem est principium motus: ergo anima potest operari. Ast anima non potest operari in substantias separatas, quia sunt ordinis superioris, inferiora autem non possunt agere in superiora: Ergo reliquum est, ut agat in substantias corporeas seu corpora.

Conclusio I. Anima separata à corpore est agens *quod* suarum actionum, seu verum & totale agens earum.

Hæc

Hæc conclusio est manifesta: quia talis anima non est pars compositi, sed est actus & substantia per se subsistens; itaque quidquid agit, agit per se solam, & nullius alterius subsidio, & sic est verum agens *quod*. An autem habeat aliquam vim agendi in corpora, non est hujus loci inquirere: nos enim tantum agimus de ea, ut conjuncta corpori. Interim tamen, quoad tria motuum genera, nempe alterationem, auctionem, & generationem, est communis Theologorum sententia, nullam habere activitatem: ut docet D. Thomas part. 1. quæst. 110. art. 2. Quoad motum vero localem, est sententia D. Thomæ, Cajetani, Zoaris, Banneſii, eam corpora externa non posse movere. Verum Fonseca in Metaphys. contrarium tenet. Cujus sententia si esset vera, sequeretur, quod mediante illo motu, activa passivis applicando, posset etiam formas inducere in materiam, & alterare, & generare; & consequenter, quod animæ Sanctorum redeuntes ad hunc mundum, possent propria virtute sibi corpora assumere, formare, & in corpora viventium morbos, sanitatem, & alia accidentia inducere.

Conclusio II. Anima unita corpori non est ipsum verum agens, nec est agens totale aut agens *quod* suarum operationum, sed est tantum principium seu ratio agendi, &

est

est solummodo agens *quo*: ipsum vero a
gens totale, seu agens *quod*, est compositu
ex anima & corpore, seu ipsum corpus a
nimatum.

Hoc patet ex Aristotele 1. de anim. text
64. cum dicit, melius dici animam no
misereri, aut discere, aut ratiocinari, sed
hominem anima.

Patet etiam ratione. Nam actio est sup-
positorum, ut docet D. Tho. 1. p. q. 39.
art. 5. ad 1. & q. 40. art. 1. ad 3. At ani-
ma, ut informans, non est suppositum, sed
est pars suppositi; corpus vero animatum
est ipsum suppositum. Ergo. Interim tamen
anima est pars principalis ejus, & est prin-
cipium agendi principale. Anima enim est
forma, forma autem est principium agen-
di, non materia: Forma enim est actus, &
dat esse; operari autem sequitur esse. Dico
autem, quod forma sit principium agendi
principale: quia etiam potentiæ sunt prin-
cipium agendi, sed non principale, sed tan-
tum instrumentale & secundarium. Et hac
ratione operationes tribuuntur formis. Ex
quo patet, quando actiones & operationes
corporis animati tribuuntur animæ, non es-
se intelligendum, ipsam animam eas edere,
& ipsam esse verum & totale agens &
causam earum, & corpus solum esse instru-
mentum; sed ipsum corpus animatum eas
edere, animam vero esse id ratione cujus
maxime

maxime eduntur. Anima itaque non videt, sed oculus; anima non concoquit, sed stomachus & corpus animatum: & sic de cæteris operationibus.

Conclusio III. Anima in illa ratione agendi habet magnam in substantias corporeas activitatem: quod nihil aliud est dicere, quam corpus animatum ratione animæ, tanquam principalis principii, habere magnam vim agendi.

Hæc conclusio est manifesta. Corpus animatum est corpus naturale ex materia & forma constans: corpora naturalia habent vim agendi: ergo & corpus animatum.

Secundo; Omne quod est, operatur; nam quidquid est, est propter suam operationem: corpus animatum est & subsistit: ergo operatur. Imo modus operandi sequitur modum essendi; & sic, quod exsistit modo nobiliore, modo nobiliore & excellentiore operatur: at corpora animata exsistunt nobiliore modo quam reliqua corpora naturalia, exsistunt enim per animam, quæ est nobilior aliis formis: ergo modo excellentiore operantur.

Tertio; Quæ communicant in forma & materia, mutuo agere possunt: corpus animatum communicat in forma & materia cum aliis corporibus naturalibus: ergo in ea agere potest.

Quarto; Patet experientia, Anima mo-

ven

vet corpus proprium, ſanguinem, ſpiritus, cibos, excrementa, calculos, &c. eadem alterat, concoquit, & in aliam ſubſtantiam convertit, & ſic generat: ergo agit in ea.

Ad argumenta reſpondetur; eis nihil aliud probari, niſi animam eſſe principium principale agendi, non autem eſſe ipſum verum agens totale. Et hac ratione magis confirmant noſtram concluſionem.

QUÆSTIO II.

In quæ corpora anima agere poteſt, & qua actione.

PRo hujus quæſtiònis intelligentia eſt facienda diſtinctio inter Corpora. Dico itaque Corpus aliud eſſe Proprium, aliud Alienum. Corpus Proprium voco, quod ab anima una individuali informatur. Sub hoc comprehendo omnes partes eſſentiales corporis, quas anima illa actuat, & quibus formaliter ineſt; ut ſunt cor, cerebrum, manus, &c. Alienum voco, quod ab anima illa eadem non eſt informatum; ſed vel nulla anima eſt informatum, vel alia aliqua, ab illa numero diſtincta. Sic fœtus & corpus alterius hominis ſunt corpora Aliena: quia etſi vere ſint informata anima, tamen non ſunt informata eadem numero anima qua informatur illud, ſed diverſa

diversa. Alienum est duplex; Internum vel Externum. Alienum Internum voco, quod est intra peripheriam corporis proprii contentum: Externum, quod est extra eam. Internum adhuc est multiplex: vel enim est pars integralis Proprii, alimentum, vel instrumentum, vel aliud ab ea vitaliter dependens; vel est nudum contentum. Illius generis sunt, sanguis, spiritus, semen, medulla, cibus, excrementa, fœtus, & quidquid aliqua ratione ad totius perfectionem requiritur: hujus sunt lapis, nucleus, globus plumbeus, aut simile aliquid in corpus deglutitum, vel quaqua alia ratione admissum, quod ad totius constitutionem seu perfectionem non requiritur. Alienum Externum est, corpus quodvis extra proprii circumferentiam positum; ut ligna, lapides, aer externus, corpus alterius hominis, aut alterius animalis. De singulis his quærendum est, in quænam illorum anima agere possit, & quamnam in ea actionem, & quomodo exerceat.

Conclusio IV. Anima per se & directe habet actionem motus localis in corpus Proprium; id est, Corpus animatum per suam animam, tanquam principium movendi, potest movere seipsum.

Hæc conclusio est communis omnium Philosophorum, & probatur authoritate Aristot. 8. Phys. cap. 4. text. 29. & 1. de anima

anima cap. 2. text. 19. & 2. de anim. cap. 2 text. 13. ubi dicit animata & viventia à se ipsis moveri; & hanc esse differentiam inter animata & inanimata, quod illa à principio intrinseco seu à seipsis, hæc ab extrinseco seu ab alio moveantur. Probatur etiam authoritate Platonis 10. de legibus, & in Phœdro his verbis: ὃ μὲν ἐξωθεν τὸ κινούμενον ἄψυχον· ὃ δὲ ἔνδοθεν, αὐτῷ ἐξ αὑτοῦ, ἔμψυχον. Id est, cui forinsecus est moveri, id est inanimatum; cui vero intrinsecus, sibi ex seipso, animatum.

Probatur etiam ratione. Natura est principium motus, materia quidem passivum forma vero activum; precipue vero in se ipso, seu in eo quod informat, ut Aristot. definit. At natura non est principium activum alterationis nec generationis in eo in quo est, ut proxima conclusione dicetur: non est etiam principium accretionis, quia accretio est motus proprius viventibus, non exsistens in aliis rebus naturalibus; natura autem est principium motus in omnibus rebus naturalibus, & non tantum in viventibus. Ergo restat, ut sit principium motus localis. Et hæc est ratio, cur credam cum Pererio 7. Physicor. cap. 16. omnia corpora naturalia, tam inanimata quam animata, moveri à seipsis; & minime gravia & levia à generante, & cœlos ab intelligentia assistente, sed à principio intrin-

seco

ſeco, & à ſua natura. At anima eſt natura. Ergo anima eſt principium motus ſecundum locum in corporibus animatis. Etſi autem putem omnia naturalia ab interno principio moveri, & conſequenter à ſeipſis; tamen, quia in viventibus eſt magis manifeſtum quod ſic moveantur, & quia pluribus motibus diverſis moventur quam corpora naturalia, & motus ſuos inchoant & ſiſtunt pro voluntate, per quod magis videntur ſeipſa movere quam illa; ideo ſpecialiter præ aliis à ſeipſis moveri merito dicuntur.

Probatur tertio experientia: quia eſt manifeſtum, animalia per potentias animæ movere ſuum corpus, & propter animam corpus habere varios motus, quos non haberet, ſi anima præditum non eſſet.

Concluſio V. Anima non poteſt ſuum corpus Proprium directe, & per ſe primo alterare: ſeu compoſitum ex anima & corpore non poteſt directe; & per ſe primo alterare ſeipſum.

Dico directe & per ſe primo: quia indirecte, ſecundario, vel per accidens, poteſt variis modis, ut infra dicetur.

Probatur concluſio: Primo; Anima eſt natura: natura, ut inquit Philoponus, non eſt principium activum alterationis ejus in quo eſt: ergo. Minor probatur: Si eſſet principium alterationis, eſſet etiam principium

pium generationis & corruptionis; nam generatio & corruptio ſequuntur alterationem: ſed natura non eſt principium generationis aut deſtructionis ejus in quo eſt: ergo nec alterationis. Subſumptum probatur: Quia ſic aliquid generaret & corrumperet ſeipſum: at hoc eſſe non poteſt: ergo. Natura eſt quidem principium motus in rebus naturalibus, ſed non eſt principium motus cujuſvis, ſed tantum motus rei naturali competentis: & ideo non eſt principium activum alterationis, aut generationis ſeu corruptionis in eo cujus eſt; ſed tantum vel motus localis, vel auctionis. In inanimatis ſolum eſt principium motus localis: in animatis eſt & motus localis & auctionis, non aliorum. Quia hi pertinent ad rei naturalis conſervationem & perfectionem, illi tenderent ad ejus deſtructionem; natura autem eſt principium conſervandi, non deſtruendi illud cujus eſt natura. Eſt ergo bene principium alterandi aliud, ſed non illud in quo eſt, & cujus eſt natura.

Secundo; Anima eſt forma: forma ſolummodo gerit cauſalitatem formalem erga ſuum ſubjectum, & non cauſalitatem cauſæ efficientis: ergo & anima. At ſi anima poſſet ſuum corpus alterare, gereret erga ipſum cauſalitatem cauſæ efficientis: ergo. Major probatur: quia nihil poteſt habere

bere causalitatem causæ formalis & efficientis respectu ejusdem. Nam ratio causæ formalis consistit in perficiendo & conservando, efficientis vero in permutando & destruendo.

Tertio; Efficiens habet contrarietatem cum patiente, nam studet ipsum destruere. At anima non habet contrarietatem cum corpore, quia unitur ei, & habet appetitum ad illud; nec studet illud destruere, quia è contra est ejus perfectio & ἐντελέχεια. Ergo.

Quarto; Quia docet experientia, ignem non calefacere seipsum, sed alia; aquam non humectare seipsam, sed alia, &c. Nulla forma suam materiam alterat, sed constituit solum in esse rei naturalis, & in eo conservat eam, nihil permutando in ea, nec ullas extraneas qualitates in eam inducendo, & dat ei potentias ad agendum in res alias, & non in seipsam. Ergo idem de anima est censendum.

Dico tamen animam indirecte & per accidens posse corpus suum alterare; idque variis modis. Primo, quatenus per suam voluntatem & potentiam motivam voluntariam potest ei applicare agentia externa, variis temperamentis prædita; ut cibos, medicamenta, ignem, glaciem, &c. quibus contingit ipsum variis modis alterari. Sic homo potest seipsum calefacere, bibendo aquam vitæ, vel adeundo ignem, &c.

Secun-

Secundo, quatenus alimenta & humores corporis perfecte vel imperfecte, plus minusve concoquit; unde generantur vel humores superassati, vel cruditates quæ alterant. Tertio, quatenus per potentias motrices naturales humores & spiritus in hanc vel illam partem agitat & movet: quorum præsentia vel absentia etiam contingit alteratio. Sic in animi passionibus corpus permutatur ad varias qualitates, calorem, frigus, &c. in ira extrema, calescunt; in timore & tristitia, refrigerantur: studio, meditatione, sollicitudine, corpus alteratur, quatenus propter eas contingit sanguinem, spiritus, vapores ab una parte recedere, ad aliam vero ferri. Nam quia recedunt à stomacho & partibus nutritoriis, hinc stomachus refrigeratur, non fit bona concoctio, multiplicantur cruditates; quia vero in caput trahuntur, caput incalescit, exsiccatur, & tandem refrigeratur, fit catarrhis obnoxium, &c. Et generaliter, in quam partem anima mandaverit humores frigidos, ea refrigeratur; in quam calidos, ea calefit, &c. Quarto, corpus animatum alterat seipsum, per hoc, quod constat partibus heterogeneis, & diverso temperamento præditis, quarum una potest aliam sibi adjacentem alterare, & convertere in proprium temperamentum. Sic cor vel hepar calidum calefacit stomachum & partes vicinas;

vicinas; ſtomachus frigidus refrigerat illa, &c. Tunc autem vere & directe corpus non calefacit ſeipſum, ſed una pars calefacit aliam, ut à ſe diverſam; & nulla calefit à ſeipſa. Et hoc eſt ex eo, quod illæ ſint heterogeneæ, & ſint ut res inter ſe diverſæ; etiamſi ab una anima & forma communi comprehendantur. Accedit quod, quando una pars calefacit aliam, non calefaciat eam ut animata, ſed ut agens phyſicum; & non alio modo, quam ſicut una res calida calefaceret manum alterius: quæ calefactio non fieret vitaliter, nec eſſet actio vitalis, ſed tantum phyſica; nec fieret ab anima per aliquem concurſum animæ cooperantis, ſed ſolum à calore membris inexiſtente: quo modo fieret etiam à partibus jam anima privatis, ſi per divinam potentiam calor in eis reſervaretur. Una enim pars vitaliter non agit in aliam alterando eam, ſed tantum phyſice. Partes enim, ut dicemus concluſione octava, vitaliter tantum alterant alimentum, quod ex intento naturæ ſtudent corrumpere, & in ſe convertere, non autem ſeipſas: cum nulla pars ſtudeat aliam corrumpere, aut in ſe convertere, ſed anima ſtudeat omnes in ſuo eſſe conſervare. Itaque anima per nullam ſuam actionem per ſe, directe, & immediate alterat corpus ſuum, ſed tantum per accidens, applicando activa paſſivis, medicamenta, cibos, humores,

mores, ſpiritus, &c. quæ per ſe formaliter & proxime illud alterant. Unde quando ipſum viſione, auditu, imaginatione alicujus rei, ſtudio & meditatione alteratur, anima non alterat illud per illas actiones directe & per ſe, ſed per accidens, mediante motu humorum, ſpirituum, & vaporum. Atque hoc modo anima ſe habet erga corpus Proprium.

Sed quomodo ſe habet erga corpus Alienum, ſeu illud corpus quod non informat? & quo genere motus movet & immutat illud: Et imprimis quæritur, An poſſit illud alterare; & videtur, quod ſic.

Primo; Forma omnis poteſt agere, & ſibiſimilem producere per generationem: at generationem præcedit alteratio: ergo poteſt alterare. Non alterat aut generat ſuum corpus Proprium, ut jam dictum eſt: ergo aliud. Anima eſt forma: ergo anima poteſt alienum corpus alterare.

Secundo; Patet experientia, quod anima alteret cibos, & per viam generationis eſſentialiter convertat in ſanguinem, ſpiritum, medullam, oſſa, carnem, &c.

Concluſio VI. Anima directe & formali alteratione non poteſt ullum corpus alterare.

Pro hujus concluſionis intelligentia, dico, non eſſe dubium, quin corpus animatum poſſit corpus aliud calefacere & refrigerare;

gerare; manifestum enim est, quod homo frigidus frigefaciat hominem calidum, & calidus calefaciat frigidum, & calefaciat lectum, thoracem, asseres, aliaque sibi contigua: sed dico illa non refrigerare aut calefacere ratione animæ, sed ratione caloris, quem in se formaliter habet; & non quatenus est corpus animatum, sed quatenus est corpus mixtum præditum formali calore. Calor enim facit illam actionem, non anima; & facit illam in virtute propria, & non in virtute animæ: & talis calefactio non est vitalis, sed mere physica; & fit eodem modo, quo unus pannus calidus calefaceret alium, & quo corpus mortuum calore post mortem residuo posset adhuc aliud corpus sibi vicinum calefacere: & illa calefactio non est actio æquivoca, sed univoca, & de tali non est quæstio.

Sed est quæstio, An anima, ut agens æquivocum, per aliquam potentiam ex sua essentia promanantem seu vitalem, sine formali qualitate, possit eminenter alterare: & quia maxime est quæstio de calore, An sine formali calore per seipsam possit eminenter calefacere, sicut Sol calefacit per lumen. Et dico, quod non.

Et probatur imprimis authoritate D. Thom. part. 1. quæst. 217. art. 3. ubi dicit, quod homo per virtutem animæ non possit per se corporalem materiam immu-

tare, ſed tantum per accidens. Ubi Cajetanus in commento etiam tenet, animam virtute propria & formaliter non poſſe, neque corpus conjunctum, neque externum immutare.

Probatur ſecundo ratione. Si anima per aliquam ſuam potentiam vitalem poſſet eminenter calefacere, fruſtra dediſſet natura corpori calorem nativum, & inſtituiſſet tam multas potentias & tam multa organa pro illius conſervatione. Etenim fere omnes animæ potentiæ, & omnia organa corporis videntur eſſe facta propter eum, ut ipſe ſcilicet reſtauretur, temperetur, & diſtribuatur. Propter eum enim eſt reſpiratio, pulſus, nutritio, & omnes potentiæ ei inſervientes: propter illas ſunt nares, gula, guttur, pulmo, ſtomachus, hepar, cor, venæ, arteriæ, & fere omnes partes. At natura non videtur illa omnia feciſſe fruſtra: ergo. Major probatur. Quia anima per illam potentiam eminenter calefacientem potuiſſet eum conſervare ſine ulla moleſtia, & ſine neceſſitate tot actionum & organorum, & ſine ulla neceſſitate vel aeris attrahendi, vel cibi ſumendi.

Tertio; Si anima poſſet eminenter calefacere, videtur, quod nunquam calor nativus poſſet deficere: quia anima, quæ eſt incorruptibilis, & ex ſe nunquam poteſt deficere, poſſet illum ſemper per illam potentiam

tiam calefactivam restaurare; & sic in defectu ejus non esset opus usu ciborum vel remediorum calidorum, quia semper per illam posset eum resarcire. At hoc non ita fit, sed in senio labascit; & cum deficit, debet restaurari per ea quæ calefaciunt, alioqui periret. Ergo.

Quarto; Quia nunquam videmus aliquam partem ab anima per se calefieri, aut sola potentia animæ per se aliquam qualitatem produci, sine applicatione temperamenti, aut qualitatis realis: sed omnem alterationem & calefactionem, quæ in corpore fit, videmus fieri per applicationem membrorum, spirituum, & humorum reali qualitate præditorum: ergo.

Quinto; In corpore nostro non solum fit calefactio, sed etiam refrigeratio, humectatio, & exsiccatio: aliqua enim minus frigida calefiunt, ut chylus, pituita, cum fiunt sanguis; aliqua calidiora refrigerantur, ut calor cordis cum respiratione attemperatur, & sanguis cum fit lac, pilus, membrana, &c. aliqua exsiccantur, ut medulla cum fit os, &c. Itaque si anima haberet potentiam eminenter calefaciendi, videtur quod etiam deberet habere potentiam refrigerandi, exsiccandi, &c. At illas habere non potest; quia sic haberet potentias contrarias, & sic haberet potentiam sui destructricem, nempe frigiditatem. Ergo,

ſicuti non refrigerat nec humectat per ſe, ſed mediante temperamento membrorum; ita eſt veriſimile, quod etiam per ſe non calefaciat, ſed ſolum mediante calore reali, & conſequenter, quod per ſe nullam faciat alterationem.

Sexto; Si anima poſſet ſic eminenter calefacere, poſſet calefacere externa omnia caloris receptiva: ſicut ſol qui eminenter calefacit, calefacit omnia calefactibilia, animalia, lapides, ligna, &c. At non experimur animam per aliquam peculiarem potentiam calefaciendi externa corpora calefacere; ſed calefactionem à nobis in externa promanantem ſolum fieri à calore reali corpori noſtro formaliter inexiſtente. Ergo. Si itaque anima per ſeipſam non poteſt alterare, ſed ſolum mediantibus qualitatibus realibus & alterativis; ergo etiam per ſe non poteſt facere ullam ſubſtantialem tranſmutationem: generatio enim præſupponit alterationem. Porro, etſi anima non alteret directe per ſeipſam; tamen poteſt alterare per accidens, ut inquit Divus Thomas loco proxime citato, applicando activa paſſivis, id eſt, per motum localem applicando illa agentia, quibus illæ qualitates reales & alterativæ formaliter inſunt. Addo & ego, poſſe alterare mediantibus qualitatibus primis, quibus ipſa utitur tanquam inſtrumentis: de quo erit concluſio ſequens. Ad

Ad argumenta interim respondetur: Animam quidem alterare, sed non alterare eminenter per seipsam, seu per aliquam potentiam vitalem ab essentia ejus promanantem, sine qualitatibus realibus; sed solum alterare mediantibus illis, temperamento nimirum partium, & calore nativo. Nec aliud probant argumenta ibi allata. Sit ergo

Conclusio VII. Anima, mediante temperamento partium & calore nativo, potest per se vitaliter & effective alterare & generare.

Hæc conclusio est manifesta. Nam anima mediante temperamento stomachi, generat chylum, mediante temperamento hepatis, generat sanguinem, mediante temperamento cordis, generat spiritus, mediante temperamento seminis & uteri, producit vivens: ergo generat. Ista enim omnia fiunt per generationem & substantialem transmutationem: atqui generatio non potest fieri sine prævia alteratione, & idem quod facit generationem, facit alterationem, secundum commune axioma philosophicum, quod idem est inducens formam, & disponens materiam: ergo anima etiam facit alterationem, quæ illorum generationem præcedit. Quamvis itaque anima per solas suas potentias, seclusis qualitatibus realibus corpori, qua mixtum est,

inexsistentibus, non possit alterare aut generare; tamen mediante partium temperamento potest, quatenus eo utitur tanquam instrumento ad alterandum, ad quod ejus potentiæ sunt insufficientes.

Pro quo est notandum, primo, quando dicitur animam alterare, non esse intelligendum ipsam solam alterare ut agens totale, seu agens *quod*, sed solum alterare ut agens *quo*, sicut conclusione 2. supra est ostensum: id est, non solam animam alterare, sed corpus animatum; sic tamen, ut anima sit ratio alterandi. Anima enim cum sit forma, & forma sit principium agendi principale; sequitur & animam esse principium agendi principale. Unde quidquid corpus animatum alterat, generat, movet, facit ratione animæ.

Est secundo notandum, non esse dubium quin corpus animatum possit alterare, quatenus est mixtum: sed de tali alteratione hic non loquimur; sed de illa quam facit qua est animatum. Et sic dico, corpus animatum non tantum alterare qua est mixtum, sed etiam qua est animatum: & sic merito dico animam alterare. Verumtamen anima non alterat per se solam, sive non alterat immediate per suas potentias vitales; sed mediante insuper partium temperamento & calore nativo, membris corporis inexsistente. Et anima non concoquit

&

& convertit chylum per ſuam nudam facultatem concoctricem; ſed per illam partium temperamento & calore nativo adjutam, queis anima utitur tanquam propriis inſtrumentis ad alterandum. In quo animadvertere licet differentiam in modo quo anima corpus Alienum Internum localiter movet, & quo alterat: movet enim per ſe primo, per ſolam ſuam potentiam vitalem, ita ut inter potentiam ejus & partem motam non mediet alia cauſa; non autem alterat per ſolam ſuam potentiam, ſed inter potentiam & qualitatem quæ inducitur mediat calor nativus & partium temperamentum, ſine quibus potentia ipſa animæ non poſſet inducere alterationem. Verum dicet aliquis, Si anima non alteret immediate per ſuas potentias, ſed tantum mediante temperamento, & qualitatibus realibus membris corporis ejus inexſiſtentibus, ergo ipſa per ſe non alterat, ſed illæ qualitates: & ſic corpus animatum non alterat, quatenus eſt animatum, ſed tantum quatenus eſt mixtum, & quatenus in ſe habet qualitates reales, quæ formaliter alterant; non aliter quam alterat ignis per ſuas qualitates, qui tamen non eſt animatus. Et ſic alteratio illa non poteſt adſcribi animæ, ſed tantum partium temperamento: adeoque non eſt verum, animam alterare, aut corpus animatum alterare ratione animæ,

aut qua eſt animatum, ſed tantum qua eſt mixtum.

Sed reſpondeo, quando anima alterat mediante temperamento partium, non ſolum alterationem fieri in virtute temperamenti & caloris, ſed etiam in virtute animæ, & animam coalterare & cooperari; & præter vim quam influunt qualitates ipſæ reales in id quod alteratur, etiam animam peculiarem vim influere, ſeu in ipſas qualitates, ſeu in ipſum paſſum, per quam alteratio aliter fit, quam fieret ſi ipſæ tantum alterarent. Et ideo non ſolum ipſum temperamentum alterare, ſed etiam animam illo temperamento ad alterandum utentem. Pro quo eſt notandum, qualitates dupliciter agere poſſe; vel in virtute propria, vel in virtute formæ alterius ſuperioris: ſic etiam temperamentum partium & calor nativus, vel poſſunt agere in virtute propria, vel in virtute animæ, ſeu ut corporis animati inſtrumentum. Cum operantur in virtute propria, tum ſolum ſimplicem faciunt alterationem: cum operantur in virtute animæ, tum alterant modo tam excelſo, ut quod alteratur, diſponatur ad formam ſanguinis, ſpiritus, ſeminis, oſſis, carnis, &c. Quando hoc modo alterant, tum alteratio non eſt effectus temperamenti ſolius, aut caloris nativi, nec eſt effectus corporis ut eſt mixtum; ſed inſuper

super est effectus animæ, & corporis ut est animatum. Quod probatur: Quia si corpus non esset animatum, talis & tanta alteratio non amplius fieret: posito etiam, quod per potentiam divinam idem temperamentum in mortuo corpore remaneret, quod antea fuerat in vivo. Itaque cum globus plumbeus, qui ante erat frigidus, per corpus transmissus, exit calidus; ille est alteratus à corpore nostro ut est mixtum, & sola virtute temperamenti: at cum cibus sic est alteratus, ut fiat chylus, sanguis, os, caro, non est alteratus à corpore ut est mixtum, sed ut est animatum; & est alteratus non virtute propria formalium qualitatum in corpore existentium, sed virtute animæ. A corpore nostro ut est mixtum, & à qualitatibus virtute propria alterantur, lectus, vestes, corpus & panis, quæ corpori nostro deforis apponuntur: sed quæ sic à corpore nostro alterantur, ut alterentur tali dispositione, quam nobilissimæ ejusmodi formæ, sanguinis scilicet, spiritus, seminis, &c. consequantur, ea non à solis primis qualitatibus, aut à temperamento, sed ab ipsa anima alterantur. Solæ enim qualitates virtute propria non possunt ea alterare alteratione ejusmodi formarum susceptiva. Etsi autem dicam in conclusione animam per se alterare, non propterea dico vere & per se alterare, eminenter calo-

rem producendo: ſed dico alterare per ſe, ad diſtinctionem alterationum aliarum quæ ab anima fiunt per accidens, mediantibus ſanguine & ſpiritibus, quos ipſa per motum localem diverſis partibus applicat. Dico enim non tantum ſic animam alterare per accidens; ſed etiam active per ſe influendo, & vitaliter cooperando. Nam in illa alteratione, qua ſpiritus & humores moti præſentia ſua alterant, anima non coalterat, ſed tantum applicat alterans: & illa alteratio, in quantum eſt alteratio, eſt mere phyſica, & non vitalis. Nam cum humores & ſpiritus ab anima moti membrum aut chylum calefaciunt, actio qua illi calefaciunt non eſt actio vitalis, ſed tantum phyſica. Motio equidem eorum eſt actio vitalis ab anima profecta; ſed actio qua ipſi jam moti præſentia ſua alterant, non eſt vitalis. Proficiſcitur enim ab humoribus & ſpiritibus, ut ſunt corpora mixta, & non ut animata: nulla enim anima prædita ſunt. Denique, talis alteratio eſt animæ per accidens, & ab anima non eſt intenta. At cum anima concoquit, illa concoctio, quæ eſt alteratio, aut alterationem includit, eſt vitalis, & fit ab anima, & ex intento animæ utentis partium temperamento, tanquam inſtrumento ad finem alterandi. Ut autem perfectiſſime intelligatur quomodo anima alteret, dico, animam, formaliter loquendo.

do, non alterare, nec de per se producere ullum gradum caloris, distinctum realiter à gradibus caloris quos ipsæ qualitates reales corpori inexsistentes in se habent. Anima enim de per se, nec eminenter, nec formaliter est calefactiva; sed alterat quatenus calorem & temperamenta partium corporis illustrat, & elevat ad effectum nobiliorem, & iis utitur tanquam instrumentis, attollendo eorum virtutem ad modum alterandi nobiliorem, quam ipsa ex se producere nata sint; ad talem scilicet dispositionem, quam nobilissimæ formæ sanguinis, spiritus, carnis, ossis, &c. subsequuntur: quæ non sequerentur dispositionem quam ipsa temperamenta, seu qualitates reales propria virtute producere possent. Et sic alterat cooperando ipsi temperamento, & vim aliquam illi & qualitatibus primis influendo. Et quæ sic alterantur, dicuntur ab anima alterari & immutari, non ab ipso temperamento; eo quod actiones causæ principali, non instrumentali adscribantur: in illa autem actione, temperamentum non sit agens principale, sed tantum instrumentale; anima vero sit ipsum agens principale. Et talis alteratio quæ fit virtute animæ, differt ab alteratione quæ fit à solo temperamento, in eo, quod illa quæ ab anima fit sit actio vitalis; quæ vero a solo temperamento, sit solummodo physica & naturalis.

Con-

Concluſio VIII. Anima illo modo alterat corpus Alienum Internum per potentiam concoctricem.

Omnis ergo alteratio quæ fit ab anima, eſt Concoctio: & per nullam aliam potentiam anima alterat, quam per concoctricem. Illud autem quod ipſa alterat, eſt corpus Alienum Internum; id eſt, ſubſtantia ab anima non informata, intra corporis peripheriam contenta. Anima enim nec alterat corpus Proprium, nec corpus Alienum Externum, quia non concoquit illa; omnis enim ejus alteratio eſt concoctio: ſed tantum Alienum Internum: & illud quidem non omne, ſed tantum quod eſt concoquibile ſeu alterabile ejuſmodi alteratione vitali. Tale autem eſt alimentum. Ex quo ſequitur, animam nihil alterare niſi alimentum. Alimentum autem eſt duplex: aliud remotum, ut cibus; aliud propinquum, ut chylus, ſanguis, humores, ſpiritus. Itaque hæc omnia anima alterat; ut vel in corporis ſubſtantiam, vel in ſpiritus, qui ſunt corporis neceſſarium inſtrumentum, convertat. Alterat anima etiam medicamenta, excrementa, ſed non ut talia, ſed ut alimenta, in quantum ea ſtudet in alimentum convertere: alterat enim illa cum intentione concoquendi, adſimilandi, etſi in ſua intentione fallatur. Multa alia in corpore noſtro alterantur,

tur, quæ non sunt alimenta; ut calculi, globus deglutitus, &c. sed, ut dixi, illa non alterantur vitaliter, nec ab anima, aut à corpore ut est animatum, sed tantum ut est mixtum, & ut est calidum; cum non sint concoctibilia, & nihil anima alteret, nisi quod est, vel simpliciter, vel secundum quid, concoctibile.

Modo quæritur, an anima etiam corpus Alienum possit movere motu secundum locum.

Et videtur quod non. Arist. 2. de anima text. 26. dicit animam non posse movere quodcunque corpus, sed tantum proprium. Pariter D. Thomas part. 1. q. 117. resp. ad 4. quærens, an anima separata possit corpora localiter movere; respondet quod non: & probat ex eo, quod anima conjuncta corpori non possit movere nisi corpus quod vivificat; ut ex eo, inquit, patet, quod brachium mortificatum amplius movere non possit, propterea quod illud non amplius informet. Quasi diceret, si anima posset movere quod non informat, posset movere brachium gangrænosum, sicut movit ante cum esset sanum: at illud non posset movere; & non videtur esse ratio, cur illud post non moveat, cum antea moverit, nisi quia antea informabat, postea non: ergo ratio movendi est ex eo, quod sit forma. Cujus

ergo

ergo non est forma, illud non movet. Sic & Gregorius de Val. disp. 8. quæst. 8. punct. 2. & Zoares in Metaphys. etiam tenent animam nihil posse movere, nisi quod informat: & multi alii Philosophi tenentes animam nihil posse movere, nisi quod informat, & tamen videntes sanguinem ita ad nutum animæ moveri, consequenter debuerunt dicere, & dixerunt, sanguinem & spiritus esse animatos. At non sunt animati secundum communem sententiam medicorum, ut patet ex eo quod non sint organici, sint fluidi, non sint toti continui. Ergo non possunt sic ad nutum animæ moveri.

Secundo; Videtur probari ratione. Nam si anima posset movere quod non informat, posset omnia quæ in corpore sunt sic movere, imo etiam posset movere externa: sed non potest: ergo.

Tertio; Quæ anima non informat, ea non tangit; quæ non tangit, non potest movere, nam ad actionem requiritur contactus: alienum corpus non informat, nec consequenter tangit: ergo.

Conclusio IX. Anima etiam potest corpus Alienum Internum, seu aliquid quod non informat intra suum corpus contentum, movere.

Pro quo sciendum est, certum esse, in corpore nostro ratione animæ multa moveri,

veri, quæ ab ipsa anima non informantur. Etenim cibus ab ore movetur ad ventriculum, chylus à ventriculo ad hepar, sanguis & spiritus in animi passionibus per universum corpus, excrementa per omnia intestina, renes, vesicam, asperam arteriam, œsophagum in dejectionibus, tussi, vomitu, fœtus emittitur in partu, globus per os deglutitus per universum corpus descendit, non quidem sola gravitate, sed movente anima; nam in intestinis sæpissime sursum ferri debet, quod ab ejus naturali gravitate fieri non potest. Illa omnia moventur ab anima, & ratione animæ; quia, si corpora essent mortua, illa non amplius moverentur: attamen ab anima non informantur: ergo anima multa movet quæ non informat. Sed difficultas est de modo quo ea movere possit, & an illa omnia moveat eodem modo. Pro quo est notandum secundo, animam posse movere aliqua motu quodam materiali & corporali, aliqua spiritaliter & per nudum imperium. Tunc movet anima res aliquas motu corporali, quando partes animatæ seipsas movendo, seu, quod idem est, ab anima motæ, corporali quadam trusione res illas intra se contentas, quas corporaliter tangunt, protrudunt; sicuti ego corpore meo protruderem unam trabem aut currum, quem contingerem. Non est autem dubium, quin anima

possit

possit tales res in corpore exsistentes sic movere, etiamsi eas non informet: id est, non est dubium, quin tales res in corpore exsistentes possint moveri ratione animæ in corpore exsistentis, etiamsi ipsæ non sint animatæ. Quidni enim possint? Si enim una res inanimata in alteram irruens & incumbens, potest eam localiter movere; & si ego motu animali membrorum meorum externorum, projiciendo & trudendo, possum ligna & lapides, inanimata extra me exsistentia, movere; cur animâ motu membrorum internorum non possit etiam res interius contentas sic trudendo movere? Tali motu multa in corpore moventur: sic movetur in partu fœtus, mucus in emunctione & sternutatione, alimentum & humores in vomitu, sputa in tussi, excrementa in alvi dejectione & mictione, cibus in deglutitione, &c. In partu, alvi dejectione, mictione, musculi abdominis constringuntur & coarctant uterum, vesicam, intestina: hæc ipsamet quoq; propria virtute se constringendo seipsa, quod in eis continetur corporaliter excludunt. In sternutatione, vomitu, tussi, musculi thoracis constringuntur, & constricti elidunt & expellunt aerem: simul ipsæ partes continentes, cerebrum, pulmo, stomachus constringuntur, & sursum seipsas attollunt, & attollendo corporaliter

ter quod in eis est extrudunt. Tali corporali motu omnia illa moveri censenda sunt, quæ ope fibrarum interius in quacumque corporis parte attrahuntur vel expelluntur. Ab anima enim illæ fibræ spiritaliter primo moventur; ipsæ vero motæ, corporaliter tum sibi contigua quoque movent. Movet itaque anima corpus suum spiritaliter: movet enim illud primo & immediate; intellige, nimirum, primo principaliter, quia movet illud mediantibus suis potentiis, quæ non concurrunt principaliter, sed tantum instrumentaliter. Sed sic movet suum corpus primo, quod nullum corpus aliud moveat prius, quo moto postea ipsum corpus corporaliter moveatur. Nam errant illi, qui dicunt animam primo movere spiritus, spiritus vero motos movere partes: quod Picolomineus in Physicis lib. de potentia motiva dixit. Fateor quidem unam partem motam, bene postea movere aliam ejusmodi motu corporali; sicut cum musculi contracti trahunt ossa & artus sibi alligata: sed tamen pars quæ primo movetur, ita spiritaliter movetur. Verum difficultas est, an anima possit spiritaliter, ac quasi per nudum imperium facultatis alicujus ad hoc destinatæ, seu expultricis, seu attractricis, seu forte alicujus distributricis, aliquid in corpore movere quod non informet; & nominatim,

natim, an anima sic movere possit sanguinem & spiritum; & an de facto illi sic moveantur: seu an sanguis & spiritus moveantur per corpus à fibris venarum, nervorum, & partium similarium corporaliter trusi, aut vero per imperium moti.

Conclusio X. Anima potest directe & per se primo & immediate movere spiritum & sanguinem, sine adminiculo corporei instrumenti.

Hoc probatur imprimis à posteriori, hac ratione. Quæ sic moventur corporeis instrumentis, non moventur nisi certo modo, & ad certam positionem, eo scilicet versus, quo partis trusio & compressio vergit: partes enim tantum comprimuntur determinato modo; habent enim fibras suas certo & determinato modo positas; quapropter ut ad determinatum tantum modum moveant est necessum. At contra sanguis & spiritus moventur undique. Ergo.

Secundo; Quæ sic moventur, ea moventur lente & vicissim, prout opus est successiva partium omnium continuarum compressione, quæ non potest in instanti fieri. At sanguis & spiritus simul, & semel, & subito moventur; ut patet in animi passionibus, in veneris imaginatione, &c. Ergo non sic moventur.

Tertio; Arteriæ & venæ non sic comprimuntur, ut earum compressione dici possit

possit sanguis moveri. Ergo sanguis non sic movetur. Antecedens probatur. Si venæ ita constringerentur, videretur vel sentiretur talis aliquis motus in venis; nam cum alimentum movetur per œsophagum, cum excrementa alvi ejiciuntur, urina è vesica exit, sentitur talis constrictio & corporalis motio. Atqui talis in venis & arteriis non sentitur. Ergo. Denique, lubrica & lenis confirmatio venarum & arteriarum non videtur indicare, sanguinem fibrarum, tanquam cataractarum quarundam, constrictione & laxatione ita retineri, emitti, vel attrahi.

Quarto; Si ejusmodi fibrarum vel vasorum constrictione & laxatione, & corporali trusione spiritus & sanguis moverentur, quando attrahitur, expellitur vel retinetur spiritus, deberet etiam expelli vel attrahi sanguis, & contra, & deberent semper eodem motu moveri. Quando enim extruditur unus, deberet & extrudi alter, propterea quod in eisdem vasis contineantur: & eodem tempore non possint diversæ fibræ sic constringi, ut una trudat unam rem sursum, alia aliam deorsum. At necessum est ut sæpe inæquali, diverso, & omnino contrario motu moveantur. Ergo non sic moventur. Denique, per easdem venas mesaraicas defertur eodem tempore chylus sursum ad hepar, ut in sanguinem convertatur,

tur, & sanguis deorsum, ut intestina nutriat. Hoc fieri non posset, si ejusmodi corporali membrorū motu moverentur. Ergo.

Quinto; Sanguis & spiritus non possent sicà partibus protrudi. Nam cum sint tenuissimi & fluidi, effugerent conatum partium eos protrudere conantium.

Sexto; Quia talis per corporalem trusionem motus non videtur posse locum habere in vena cava & arteria aorta, quæ semper hiant & sunt valde magnæ. Nam si per compressionem earum sanguis & spiritus moverentur, ipsæ deberent omnino constringi, alioqui hi non possent sic extrudi.

Septimo; Quia, etsi per motum corporei organi videatur aliqua ratione expulsio & protrusio fieri posse; tamen non videtur illo modo fieri posse attractio. Atqui attrahitur sanguis & spiritus in membra pro nutritione. Ergo non per talem motum corporeum.

Octavo; Partes similares non sunt organicæ, nec figura præditæ: itaque non habent omnis generis fibras, quibus operationes suas exerceant; sed instrumentum operationum earum est solum temperamentum. Atqui eæ attrahunt sanguinem & spiritus, & retinent & expellunt. Ergo, non per fibras, vel corporeum ullum instrumentum, sed solo nutu & imperio animæ, adjuto potentiis propriis & partium tempera-

peramento. Confirmatur. Ejus quod nutritur unaquæque minima pars nutritur. At unaquæque minima pars non habet fibras ad attrahendum & retinendum & expellendum; cum unius partis minimæ non sint plures aliæ minimæ. Ergo solummodo expelluntur & attrahuntur spiritaliter, solo animæ jussu. Confirmatur secundo. Alimentum ab ipsis plantis è terra attrahitur solo animæ vegetantis imperio, sine ullo motu corporeo aliquarum particularum. Ergo & in animalibus, si in solidis partibus sanguis ea ratione movetur, ergo etiam in vasis eadem ratione moveri est censendus.

Probatur etiam à priori. Etenim sanguis & spiritus sunt partim instrumentum, partim corporis alimentum. Quatenus sunt instrumentum, necessum est ut ad animæ nutum moveri possint: de ratione enim instrumenti est, ad nutum causæ principalis dirigi posse, alioqui non esset instrumentum; præcipue vero naturæ spiritus convenit, quam promptissime in omnem partem moveri posse. Quatenus sunt alimentum, debuerunt quoque nutui animæ obedire, ut in omnes partes alendas commode ferri possent. At si per corpora instrumenta moverentur, non possent ita commode moveri, nec possent nutui animæ obedire; ille enim motus valde tardus, & molestiæ plenus esset. Ergo,

Secundo;

Secundo; Cum alimentum debuerit in omnes partes deferri, si sanguis & spiritus illa ratione moverentur, necessario per universum corpus debuissent corporea instrumenta motui illi servientia fuisse constituta: at hoc fieri non potuit: itaque necessum fuit eos sic spiritaliter ad animæ nutum moveri. At dicet aliquis, Si sanguis & spiritus ita moverentur ad nutum animæ, possent moveri quo vellemus: sed sic non moventur: ergo. Sed respondeo, negando sequelam. Nam moventur quidem ad nutum & imperium animæ, sed non propterea ad imperium phantasiæ aut voluntatis, sed ad imperium quoddam naturale alterius potentiæ naturalis (seu expulsivæ, seu attractivæ, seu distributivæ) quæ non sequitur in movendo facultatem cognoscitivam aut appetitivam, sed movet certo modo sibi ab authore naturæ præscripto, cujus imperium naturali quodam instinctu sanguis cognoscit.

Conclusio XI. Non tantum spiritus & sanguis, sed adhuc alia in corpore nostro ab anima spiritaliter moveri videntur. Sic partes similares attrahunt omne suum alimentum, etiam pravum; sic etiam excrementa sua expellunt per solam vim expultricem temperamento adjutam, sine partium aut fibrarum ulla contractione; sic urina quoque à renibus, bilis à folliculo

fellis,

fellis, melancholia à liene videntur trahi, & tracta denuo in inteſtina & ſtomachum amandari.

Ad argumenta ergo in principio quæſtionis poſita reſpondetur. Ad authoritatem Ariſt. Verum eſſe, animam nihil movere, niſi corpus proprium: at per corpus proprium non tantum intelliguntur membra animata, ſed etiam ſpiritus & ſanguis, quos ubique Ariſt. in libris de generatione & partibus animalium, ſub corporis partibus comprehendit. Ad D. Thomam reſpondent Conimbricenſes 1. de Generatione cap. 4. quæſt. 24. art. 3. reſp. ad 2. argumentum non tenere, & poſſe animam etiam movere ea quæ non informat. Movet autem, inquiunt, anima ſanguinem & ſpiritum, non ut inſtrumentum conjunctum, quo modo non movet niſi quod informat; ſed ut inſtrumentum remotum, quo modo etiam poteſt movere quod non informat. Unde etiam bene Valeſ. in lib. de ſacra Philoſophia dicit, animam ſanguinem ſpiritaliter ſine inſtrumentis corporeis ad nutum movere, etiamſi ipſum non informet: in quo ponit quandam divinitatem & ſingularem ſanguinis cum anima ſympathiam; quod cum eum non informet, poſſit nihilominus ſic ad mandatum movere. Et cur non poſſit anima movere illud quod non informat? Sanguis enim & ſpiritus ſunt

animæ

animæ instrumentum, & corporis alimentum; de ratione autem eorum est, ut & ad nutum moveri, & dirigi ab agente principali & à membris nutriendis possint, ut valeant eorum usibus inservire. Neque poterant per instrumenta corporea moveri: quia imprimis illa ubique & in omnibus partibus similaribus esse non poterant; secundo, quia ille motus minime fuisset expeditus, sed valde molestus, spiritus vero debent esse ad omnem usum paratissimi. Ita vegetativa plantæ attrahit succum terræ pro alimento, qui tamen est extremus, & quem non informat; & sine corporei instrumenti constrictione vel trusione, in summam usque arborem trahit, spiritali quadam motione: cur non & animæ superiores eandem movendi sui alimenti efficaciam habere dici possint? Forma magnetis trahit ferrum, ambræ paleam, pharmaci humorem peccantem; & tamen nulla istorum informat illud quod trahit.

Ad secundum respondetur, negando sequelam. Nam sanguis & spiritus, & quæ in corpore sunt, & jam sunt animæ instrumentum & propinquum alimentum, ab anima vim & impressionem receperunt, qua idonea facta sunt ad ejusmodi animæ imperium recipiendum: quæ extra corpus sunt, multaque alia in corpore exsistentia quæ à corpore non sunt alterata, non item.

Quod

Quod anima gangrænosum brachium non amplius moveat, equidem est quia illud non amplius informat: sed non sequitur, quia illud nō amplius informat, ideoq; non movet; ergo alia quæ etiam non informat, itidem movere non poterit. Nam alio modo movet corpus proprium, alio modo ea quæ in corpore continentur, ejusque tantum vel sunt instrumenta vel alimenta. Illud movet qua est forma ejus, hæc vero alio modo.

Ad tertium dico, Animam tantum tangere contactu virtutis; quod sufficit ut illa valeat movere.

Atque ista sic se habent ordinarie & secundum naturam in omnibus corporibus. Legimus autem, præter communem cursum naturæ, aliquos aliquando mirabilem & in proprium corpus, & in ea quæ in corpore continentur efficaciam & virtutem habuisse. Narrat de quodam Avicenna, qui, cum vellet, corpus suum paralysi afficiebat. Scribit D. Augustinus de quodam, qui aures unam vel ambas pro arbitrio movebat; de alio, qui totam suam cæsariem, toto corpore immoto, quantum capilli occupabant, ad frontem deponebat, revocabatque cum vellet. Illud etiam pene omnem, inquit, fidem superat; quod quidam eorum quæ deglutiissent plurima & varia, paullatim contractis præcordiis, quasi de

ſacculo quod placuiſſet proferebat. Refert idem quendam ſudare potuiſſe cum vellet: alium lacrymas pro libito prompſiſſe. Narratur, inquit, & presbyteri cujuſdam, Reſtituti nomine, vis naturæ admiranda; qui cum volebat, ſeſe abducebat à ſenſibus, & jacens mortui hominis oſtendebat ſpeciem, ut non ſolum vellicantes & pungentes non ſentiret, ſed etiam admoto igne ureretur ſine ullo doloris ſenſu. Quibus exemplis indicatur, nonnullos excrementa & humores in corpore ſuo contenta, & partes etiam aliquas per imperium Voluntatis movere potuiſſe. Nam qui ſe paralyſi afficiebat, videtur hoc debuiſſe facere, humores internos in ſpinam & nervos mittendo, & inde iterum educendo. Qui ſe in extaſim promovebat, debet hoc feciſſe, humores pituitoſos in cerebri ventriculos & ſubſtantiam agendo, & inde, cum placeret, educendo: qui pro libito ſudabant & lacrymabantur, ſerum pro imperio movendo. Hæc exempla referens Cœlius Rhodiginus lib. 20. cap. 15. mirabilem animæ in proprium corpus vim fatetur, & corpus animæ imperio plurimum obedire; eo quod ſit forma per ſe ſubſiſtens, & non indigens peregrino adminiculo. Verum iſta non arguunt admirabilem animæ in corpus efficaciam, ſed potius particulares aliquorum hominum proprietates, & ſingularem corporis

poris conformationem, quæ non eodem modo est in uno, sicut in altero: illa enim potius pendent à peculiari quadam membrorum conformatione, quæ non semper in omnibus est eadem. Aliqui habent aliquas partes magis musculosas quam alias, aut habent musculos in aliqua parte, in qua non habent ordinarie alii homines: & tales possunt movere unam partem, quam non movent alii. Sic asini, equi, movent aures; homines non: quia in asinis & equis peculiares musculi aurium motui sunt destinati; in hominibus non. Canes erigunt pilos, & aves plumas suas, & histrices pinnas; homines minime: equi movent & concutiunt totam cutem; homines non. Quod fit, quia eorum omnium cutis non est ita firmiter corpori adnata, & magis musculosa; & ideo eam movere possunt, & movendo movent ea quæ illi inhærent. Animalia ruminantia cibum deglutitum ad os possunt revocare: quod homo non potest. Quæ omnia fiunt, non ex imperio animæ super corpus, aut ea quæ in corpore continentur; sed ob peculiarem membrorum conformationem. Sed forte etiam aliqua eorum arte magica contigerunt, aliqua fraude & dolo; aliqua forte etiam non sunt vera, sed ex relatu & fama hominum narrata. Ideo non est exemplis omnibus adhibenda fides.

Restat videre, an anima etiam valeat

movere corpora aliena externa, sive corpora quæ non informat, extra suum corpus proprium constituta, ac remota. Et videtur equidem quod sic, primum authoritate. Etenim Avicenna 4. 6. naturalium cap. 6. (quem secuti sunt Algazel, Albertus Magnus, Marsilius Ficinus, Pomponatius, Paracelsus, & alii) adeo magnam vim animæ & imaginationi adscripsit, ut dicat eam non tantum in corpus proprium, sed etiam in corpora externa & longe dissita agere posse; ea non tantum alterare, fascinare, & ægritudinibus afficere, sed & loco movere posse: adeo ut hominem longe remotum ex equo dejicere, & tempestates & pluvias excitare, & consequenter nubes & vapores (sine queis illæ excitari non possunt) localiter valeat agitare & movere.

Probatur secundo ratione. Intelligentiæ agunt & operantur per intellectum & voluntatem, ut est communis Scholasticorum, & etiam Arist. in libris de cœlo sententia, & per ea possunt corpora movere. Sic intelligentiæ movent orbes, prosternunt exercitus, movent elementa & nubes, ut de diabolis est manifestum, corpora assumunt, &c. Atqui anima est etiam intellectu & voluntate prædita, & similis supernis intelligentiis. Ergo etiam per eadem potentias potest operari, & quidem etiam in corpora externa.

Tertio;

Tertio; Anima, ut supra dictum est, potest movere corpora interna quæ non informat: ergo etiam potest movere externa. Probatur sequela: Quia, quod anima non posset externa movere, sola ratio esse videretur, quod illa non informaret. Sed illa ratio non valet, quia aliqua interna etiam non informat, & tamen movet. Ergo etiam externa movere potest, etsi non informet.

Quarto; Magnes movere potest corpora externa à se remota. Ergo videtur quod & corpora animata idem poterunt. Probatur sequela: Nam corpora animata habent formam & essentiam nobiliorem quam magnes: anima enim est multo excellentior forma quam sit forma magnetis. At quæ essentiam habent nobiliorem, ea videntur quoque & modum agendi debere habere perfectiorem. Ergo.

Conclusio XII. Anima non potest directe & per se ac immediate corpus alienum externum sive remotum movere.

Pro cujus intelligentia est notandum, animam dupliciter posse corpora externa movere: primo, ut causam moralem; sic enim suadendo, rogando, minando, perterrendo, potest esse causa ut res externa moveatur; sic minando possum facere ut homo aut canis, qui antea quiescebat, moveatur, & à me aufugiat & currat, etiamsi

quam maxime eſſet remotus; perterrefaciendo poſſum facere, ut qui in alto tecto ſtat quietus, tremat & cadat; rogando & blandiendo, facere ut qui ſtat inferius, aſcendat ſurſum, volutetur, veniat at me, abeat, proficiſcatur Romam, &c. Sed de tali cauſalitate nos hic non loquimur, ſed de cauſalitate phyſica, qua anima externum corpus propria virtute & effective poſſit movere. Secundo, poteſt etiam corpora movere per accidens; movendo proprium ſuum corpus, quo moto, aliud ei ſubſtantialiter contiguum corporaliter impellitur, protruditur, vehitur, aut circumagitur. Sic poſſum hominem, lapidem, baculum impellere, attrahere, vehere, lapidem projicere, currum agere, &c. Et de tali motione non eſt quæſtio. Sed hic eſt quæſtio, an anima per ſe, non mediante motu locali corporis ſui aut partium ejuſdem, poſſit effective per imperium & immediate corpus aliquod Externum movere; & de tali motu eſt intelligenda Concluſio.

Et probatur primum authoritate. Nam Ariſt. 2. de anima, text. 26. dicit, animam non poſſe movere quodcunque corpus, ſed tantum proprium. Et D. Thom. 1. part. quæſt. 117, reſponſione ad 4. quærens, an anima ſeparata poſſit corpora localiter movere, reſpondet quod non argumento, quod anima conjuncta non poſſit movere niſi

nisi quod informat. Quibus verbis manifeste indicat, quod saltem externum corpus nulla ratione movere possit. Hoc etiam docent Valentia disp. 8. quæst. 8. puncto 2. Zoares, Conimbricenses, Valesius in sacra philosophia, & breviter est communis opinio omnium Peripateticorum.

Probatur etiam experientia: Quia videmus nos nullam rem externam posse virtute animæ nostræ movere, nisi quatenus illam tangimus & corporaliter protrudimus, aut quaqua ratione movemus; per solam autem rei visionem, vel cogitationem, vel imaginationem de ea, vel voluntatem movendi illam, videmus quod eam nunquam movere possimus. Quantumcumque enim quis diu lapidem inspiciat, aut de eo cogitet, aut habeat voluntatem eum movendi, nunquam movebit eum; ut ne quidem vel minimam plumam. Imo tantum abest ut externam rem movere possimus, ut ne quidem partem propriam corporis gangræna aut paralysi affectam, quantumcumq; eam movere desideremus, & de movenda cogitemus, movere valeamus: ut jam supra ex D. Thoma est allatum.

Ad argumenta respondeo. Ad authoritatem Avicennæ, Algazelis, & aliorum, illos fuisse nimis superstitiosos in extollenda animæ & imaginationis virtute,

& ea adſcripſiſſe imaginationi, quæ ſunt adſcribenda virtuti diabolicæ. Nam cum viderunt & audiverunt aliquos homines mirabilia ſupra naturam feciſſe, non habentes adhuc illam notitiam maleficiorum & artis magicæ, quam nunc habemus, putaverunt eos illa facere per vim ſuæ animæ & imaginationis, cum fecerint virtute diaboli. Alii eorum fuerunt homines magici & ſuperſtitioſi, qui ideo dixerunt animam tanta poſſe, ut illo pallio tegerent impietatem artis quam profitebantur. Quod ſi anima haberet virtutem res externas movendi, utique illa poteſtas omnibus animatis indita eſſet: at nemo hodie talia virtute animæ facere poteſt, niſi ſit magus: ergo. Nec valet, quod ipſe, tacitæ occurrens objectioni, dicat, non omnes talem virtutem habere, ſed eos tantum quorum animæ ſunt nobiliores, & à terreſtri fæce magis ſeparatæ, & ſub felici ſiderum conſtellatione creatæ, & ab iis influxum adeptæ: quia imprimis virtutes cœleſtes in animam, utpote ſpiritualem, influere non poſſunt; ut infra dicetur. Secundo, quia ſi aliqui homines talem poteſtatem haberent, maxime haberent viri ſancti, ingenioſi, & docti; tales enim (quando animæ aliæ aliis poſſent eſſe perfectiores) viderentur merito eas præ aliis habere excellentiores: At nullus hodie eſt, quantumcumque ſapiens vel ſanctus,

ſtus, qui vel feſtucam quidem extra ſe ſine attactu corporali, ſolo animæ nutu & imperio, movere poſſit: ergo.

Ad ſecundum reſpondetur: Id eſſe, quia illæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, ſolo imperio intellectus & voluntatis (quæ nulli corpori alligantur) moventes. At anima noſtra, etſi ſit quidem ſeparabilis, in hoc tamen vitæ ſtatu eſt corpori immerſa, & per ipſam determinata ad ſuum corpus; ſic ut ejus virtus motiva non ſit generalis & indeterminata, ſicut angelorum, ſed ita determinata ad illud, ut nihil movere poſſit, niſi vel illud ipſum quod informat, vel quæ habent neceſſariam cum illo connexionem, in eſſe inſtrumenti, vel alimenti &c. Si anima poſſet agere per imperium intellectus & voluntatis, qui ſunt immateriales, & ad nullum mobile ſpecialiter determinati, poſſet forte etiam externa quævis movere; & ideo forte ſeparata etiam alias res præter corpus ſuum movere poteſt: at in corpore limitatur & adſtringitur ſic ut non poſſit agere, niſi per potentias quas in materia habet, ſeu per potentias materiales: atqui in corpore animato non ſunt tales potentiæ, quæ poſſint res externas movere: quare mirum non eſt, ſi eas movere non poſſit. Quod nullæ tales ſint in nobis potentiæ, probo: Quia potentiæ quæ in viventibus ſunt motivæ, vel ſunt

potentia locomotiva animalis, vel potentia motiva naturalis, ut expultrix, attractrix, aut aliqua forte distributrix: at potentia locomotiva non potest movere nisi per musculos & nervos, & sic non potest movere, nisi illa ad quæ illi pertingunt; illi non pertingunt in res externas: itaque illas non potest movere. Aliæ potentiæ, ut expultrix, attractrix, ad certas quoque res, & certos ductus & organa, & organorum temperamenta sunt determinatæ. Ergo voluntas in nobis sicut in angelis non est efficax, sed corporis conjunctione ita est ligata, ut immediate non operetur, sed solum per aliam potentiam materialem, nempe locomotivam; per quam solum determinatur ad illud movendum, quod illa potentia proxime executiva movere potest. Et de facto patet, quod voluntas non sit per se motiva: quia si locomotiva animalis sit læsa, voluntas quantumcumque desideret, ne minimam quidem partem movere potest, ut in paralyticis patet.

Ad tertium respondetur, negando sequelam. Etenim anima operatur per potentiam, quæ in sua operatione dependet à certo temperamento, certis ductibus & canalibus; quæ in corpore sunt, extra vero non sunt. Ad probationem respondetur etiam negative. Ratio enim cur anima non moveat, non est solum quod ea non informet,

met, ſed quia nec ea informat, nec illa impreſſionem ab anima receperunt, qua ſint facta idoneum corporis inſtrumentum, vel alimentum, vel idonea ad ejuſmodi animæ vim motivam recipiendam. Hinc movet nonnulla, non quia informat, ſed quia talem eſſentiam acquiſierunt, per quam ſunt facta apta moveri.

Ad quartum reſpondetur; quod non impediat, quin anima potuiſſet habere potentiam etiam externa movendi, ſi ita Deo placuiſſet, ſicuti magnes habet: ſed ideo non placuit, quia dedit viventibus ſufficientia media ad omnia pro naturæ ſuæ exigentia exſequenda, etiamſi talem res externas movendi potentiam non habeant. Dedit enim eis in vicem illius potentiam locomotivam, qua ſponte ad res externas, quas movere habent, progredi poſſint, ut eas quantitative tangant, & ſic moveant; etiamſi de longe ſolo nutu movere non poſſint. Potuiſſet itaque animæ vim illam dediſſe, ſicut & angelis, ſi voluiſſet; ſed non voluit. Voluit autem hominem intra certos quoſdam terminos perfectionis creare, quibus angelis eſſent inferiores.

Sed an anima poteſt corpus Externum alterare? Sit

Concluſio XIII. Anima non poteſt etiam alterare corpus externum: id eſt, corpus animatum, qua eſt animatum, non po-

teſt alterare corpus externum. Si non poteſt alterare, ergo etiam non poteſt generare.

Hanc concluſionem tenet D. Thom. part. 1. quæſt. 117. art. 3. & probatur. Anima non poteſt operari ubi non eſt: extra corpus non eſt: ergo ibi non poteſt operari. Sciendum itaque eſt, corpus animatum bene poſſe corpora externa alterare; ſed non poteſt ea alterare qua eſt animatum, ſed tantum qua eſt mixtum. Sic corpus meum calefacit veſtes, lectum, alia corpora adjacentia: ſed ea non alterat vitaliter ratione animæ, aut in virtute animæ, ſed ſolum phyſice, & in virtute qualitatum quæ ei inexſiſtunt; non aliter quam lapis & ferrum calida ea alterarent, quæ tamen non ſunt animata. Et ſic temperamentum & qualitates corporis mei alterant corpora illa in virtute propria, & non in virtute animæ, nec quicquam anima in illa alteratione cooperatur aut influit: & ideo talis alteratio non eſt actio vitalis, ſed tantum phyſica; & illa corpora quæ ſic alterantur, non aliter alterantur quam à quovis corpore inanimato poſſent alterari.

Et ideo non alterantur niſi ſimplici alteratione, & ſolummodo calefiunt aut refrigerantur; nunquam autem in chyli, ſanguinis, ſpiritus, ſeminis, aut membri naturam convertuntur, ſicut convertuntur illa

la quæ vitaliter interius ab anima alterantur.

Dicet aliquis, Alterantur à corpore animato qua est animatum, quia quæ à corpore animato deforis alterantur, tantum acquirunt calorem: at calorem habet corpus ratione animæ: ergo etiam ratione animæ acquirunt illum. Sed respondeo, esse per accidens ad calefactionem, quod calor ille corpori insit ratione animæ: non enim refert à quo corpus habeat calorem, an ab anima, an ab alio; sufficit quod illa calefactio non fiat virtute animæ: quia etiamsi per potentiam Dei anima à corpore auferretur, & corpus nihilominus calidum remaneret, eodem modo res externæ ab illo corpore calefierent, sicuti calefiebant cum anima præditum esset. Etenim non tantum corpora animata externa corpora calefaciunt, sed etiam refrigerant. Sic unus homo frigidus alium calidum sibi adjacentem refrigerat: at non refrigerat in virtute animæ, sed in virtute suæ qualitatis. Sicuti ergo illum non refrigerat in virtute animæ, cum ipse est frigidus; ita etiam non calefacit in virtute animæ, cum ipse est calidus. Accedit, quod ne quidem corpus calorem habeat ab anima, sed potius animam à calore; etsi ante animam inductus calor postea à succedente anima conservetur.

Potest

Potest porro anima adhuc alia ratione esse causa alterationis in corporibus externis, nempe ut causa moralis, metum & gaudium seu verbis seu gestibus incutiendo; per quæ motis in varia humoribus, ipsa vario modo alterantur, rubent, pallent, tremunt, &c. vel etiam motu animali suorum membrorum, activa naturalia eis applicando; quo modo possum aquam facere calidam, motu manuum mearum ignem ei applicando. Sed de ejusmodi alterationibus per accidens non hic loquimur.

Constat nunc ex prædictis, in quæ corpora anima habeat activitatem, & quo motu ea valeat movere. Restat videre

QUÆSTIO III.

Per quas potentias illos motus & actiones exerceat.

Conclusio XIV. Anima nihil immediate operatur per seipsam, sed per potentias sibi superadditas. Potentiæ autem tantum sunt animæ instrumenta; anima vero est ipsa causa principalis.

Hæc conclusio est D. Thom. part. 1. qu. 77. art. 1. quem sequuntur plerique Theologi, & passim Philosophi, dicentes, non tantum animæ hoc non competere, ut per suam substantiam agere possit, sed ne quidem ulli creaturæ, sed soli Deo, qui est sum-

simplicissimus, & cujus idem est esse & agere. Hinc dicunt, ne quidem angelos per suam substantiam agere posse, sed tantum per intellectum & voluntatem, tanquam potentias operandi substantiæ superadditas. Hinc est quod Arist. animæ potentias adscripserit, per quas operetur: hinc omnibus substantiis potentiæ & qualitates, tanquam instrumenta actionum, adscribuntur. Ignis dicitur agere, non per suam substantiam, sed per calorem; magnes trahere ferrum, non per seipsum, sed per potentiam attractivam; anima videre, non per suam substantiam, sed per potentiam visivam; audire per potentiam auditivam; concoquere per potentiam concoctricem, &c. Etenim substantiæ sunt indifferentes ad omnem operationem: quare necessarium est, ut per potentias sibi superadditas ad hanc vel illam edendam terminentur. Quod si pro omnibus aliis operationibus, visu, auditu, intellectu, imaginatione, memoria, peculiares potentias habere anima debuit; certe multo magis habere debuit ad movendum & alterandum. Etenim actiones cognoscitivæ sunt animæ propriæ: hæ, animæ etiam cum aliis rebus naturalibus communes. Sicut ergo res naturales non possunt illas sine peculiaribus potentiis exercere; ita quoque non est mirum, si neque anima possit. Illæ enim

sunt

ſunt immanentes, hæ tranſeuntes: facilius autem videtur animam immediate per ſuam ſubſtantiam edere poſſe actiones immanentes, quam tranſeuntes: cum ergo non poſſit illas, utique neque has.

Concluſio XV. Anima non movet corpora omnia localiter per eandem potentiam, ſed per diverſas.

Potentiæ illæ duplices ſunt: alia animalis medicis dicta, philoſophis motiva voluntaria ſeu progreſſiva; alia naturalis, ſive involuntaria. Animalis eſt, quæ in cerebro reſidet, & per nervos toti corpori communicatur. Hæc potentia ſequitur ſenſum & appetitum, & obedit voluntati & potentiæ appetitivæ, & ab iis in opus excitatur; & edit actionem ſuam per nervos & muſculos, & ſine illis nihil omnino poteſt movere; & ſolis ineſt animalibus, minime vero plantis. Talis eſt, per quam brachia & crura moventur. Facultas motiva naturalis, eſt facultas quædam, quæ non ſequitur ſenſum & appetitum, nec voluntati aut appetitivæ paret; ſed eſt involuntaria, & ſequitur quandam inclinationem naturalem, per quam excitatur ad aliquid motu ſuo fugiendum vel proſequendum. Hæc facultas non eſt ſimplex, ſed variæ ſunt ejus differentiæ; aliæ omnibus partibus inſitæ, aliæ aliquibus peculiares. Alia eſt facultas naturalis motrix cerebri, alia cordis,

cordis, alia ſtomachi, alia uteri. Hæc non utitur nervis aut muſculis, ſed ſolo temperamento, ſpiritibus, & membrorum fibris. Talis eſt, per quam cerebrum in ſternutatione, pulmo in tuſſi, ſtomachus in vomitu emittunt excrementa. Talis eſt, per quam alimenta in univerſum corpus, & per omnes partes nutriendas attrahuntur, & ſuperflua excernuntur. Porro, præter illas potentias nullæ ſunt aliæ potentiæ localiter movendi poteſtatem habentes.

Concluſio XVI. Corpus proprium ſeu animatum & membra ejus per ſe primo movet, & per motivam animalem ſeu voluntariam, & per motivam naturalem.

Quod per motivam animalem moveat, eſt manifeſtum; nam per illam moventur brachia, pedes, caput, & omnes muſculi corporis, & totum corpus: & ideo etiam vocatur à philoſophis progreſſiva. Quod per motivam naturalem etiam moveat, probatur: quia pulſifica movet cor; motrix naturalis quæ eſt in cerebro movet & concutit cerebrum in ſternutatione; expultrix pulmonis, pulmonem in tuſſi; ſtomachi, ſtomachum in ſingultu, nauſea, vomitu; uteri, uterum in ſtrangulatione, in partu; expultrix quæ eſt in nervis, in carne, cutem & carnem in rigore, palpitatione, & motibus convulſivis. Etſi autem membra corporis animati ab utraque facultate

motiva

motiva moveri possint, non tamen propterea omnia moventur ab utraque: sed aliqua moventur magis à motiva animali, quæ non moventur à motiva naturali, ut musculi & artus externi; alia moventur à facultate naturali, quæ nulla ratione moventur ab animali, ut cerebrum, stomachus, uterus, pulmo, jam dicti. Est etiam differentia, quod motiva animalis potest movere membra secundum se tota; motiva vero naturalis non sic, sed tantum motu dilatationis & constrictionis. Sic in pulsu totum cor non movetur loco, nec stomachus in vomitu, nec uterus in partu; sed tantum constringuntur & dilatantur. Est & alia differentia; quod per motivam animalem tantum per se primo movetur corpus proprium seu animatum, & non corpus alienum: per naturalem non tantum proprium, sed & alienum, ab anima non informatum. Dico, per se primo: quia per accidens etiam alienum potest moveri. Et enim per motivam animalem, ut per motum musculorum abdominis, etiam excrementa alvi, & urina, & fœtus excluduntur; per motum musculorum thoracis, sputa exscreantur, & aer eliditur, quæ non sunt animata, nec partes corporis: verum non per se, sed per accidens, quatenus ipsarum partium animatarum motu & constrictione per accidens extruduntur.

Con-

Conclusio XVII. Corpus alienum internum, seu corpus non animatum intra corporis peripheriam contentum, per potentiam motivam naturalem potest moveri, per motivam vero animalem non potest, nisi per accidens, uti jam dictum est.

Prior pars probatur: Quia in medicina certissimum est, chylum, sanguinem, semen, spiritus, excrementa, in corpore localiter moveri per facultates expultricem & attractricem, & si quæ forte sit in membris principalibus dispensatrix ab illis diversa; quæ omnes sunt naturales; interdum interventu & subsidio fibrarum, interdum spiritus, interdum aeris impellentis, interdum solo temperamento.

Posterior pars probatur: Primo; nam quod à locomotiva animali movetur, movetur nutu voluntatis. Atqui nec sanguis, nec humores, nec spiritus, nec excrementa, nec calculi, nec nuclei deglutiti moventur nutu voluntatis. Ergo non à motiva animali.

Probatur secundo; Quia quod facultas illa movet, movet per musculos. Interius in corpore, in visceribus, venis, arteriis, intestinis, non sunt musculi, ibi autem sunt humores, spiritus & excrementa. Ergo illa facultas non movet ea.

Conclusio XVIII. Corpus externum non potest moveri localiter, nisi per poten-

potentiam locomotivam animalem.

Dictum est supra conclusione 12. externum corpus non posse directe & immediate per imperium ab anima moveri, sed tantum per accidens, motu scilicet corporis proprii, quod per se & immediate corporali trusione, vectione, &c. movet illud; hic vero dicitur talem motionem per accidens fieri per potentiam motivam animalem. Quod, quia est manifestum, non eget ulteriori probatione.

Vidimus ergo per quas potentias anima moveat singula corpora localiter; videndum nunc est per quas potentias singula alteret. Sit ergo

Conclusio XIX. Anima alterat per varias potentias: sed per aliquas alterat per se, per aliquas tantum per accidens.

Alterat per se per potentiam concoctricem, altricem, & generatricem. Imo videtur tantum alterare per potentiam concoctricem: nam vel illæ aliæ non sunt à potentia concoctrice diversæ, vel concoctrix est famula earum, & per illam perficiunt omnem, qua opus habent, alterationem. Hoc tamen hic non multum attinet disputare. Sufficit scire, potentias, quæ vere & per se alterant, esse potentias vegetativas; atque adeo animam alterare per solas potentias vegetativas, & nullas potentias sensitivas & cognoscitivas esse per se alterativas.

vas. Alterat tamen nihilominus anima per potentias vegetativas, non quidem solas & per se consideratas, sed mediante temperamento & calore nativo; sicut Conclusione 7. est declaratum. Alterat tamen per se, quatenus præter influxum ipsarum qualitatum, ipsa quoque effective cooperatur & per se influit; sic ut per ejus influxum effectus producatur longe nobilior quam sola virtute qualitatum formalium posset produci; ut ibidem ostensum est. Per accidens alterat anima per illas omnes potentias, quæ quaqua ratione possunt esse causa motus humorum, spirituum, excrementorum, ad partem quæ alteratur. Quæ enim potentiæ solum alterant mediante motu humorum & spirituum, &c. illæ non vere alterant, sed solum alterant applicando activa passivis; quod est tantum per accidens alterare. Hac enim ratione etiam angeli alterant: quos tamen docet D. Thomas & omnes Theologi Scholastici per se non alterare, nec ullam formam in materiam inducere. Causa enim solummodo activa passivis applicans inter veras causas efficientes non refertur. Quando enim potentia aliqua animæ alterat applicando & movendo humores & spiritus ad partem, tunc illa vere nihil alterat, sed tantum humores & spiritus movet; & vere nihil influit quoad illam

illam alterationem, ſed tota alteratio perficitur in virtute humorum & ſpirituum: & humores & ſpiritus non alterant in virtute animæ, ſed in virtute propria; & ſolum & eodem prorſus modo, quo alterarent ſi à potentia illa non applicarentur, ſed vel ab angelo tantum, vel motu proprio, ſeu intrinſeca ſua gravitate vel levitate. Inter potentias quæ ſic per accidens alterant eſt diverſitas. Nam aliæ alterant longe magis per accidens quam aliæ: & aliquæ tanto minus per accidens aliis, ut in comparatione illarum quaſi agant per ſe, & poſſint dici agere per ſe; quamquam reſpectu vere agentium per ſe, ſemper agant per accidens. Nam, cum omnes hæ quæ alterant per accidens, alterent mediante motu humorum & ſpirituum; illæ quæ proximius, immediatius, & magis per ſe movent humores, etiam proximius alterant; quæ vero remotius & magis per accidens movent humores & ſpiritus, illæ quoq; magis per accidens alterant: At dictu eſt concluſione 10. ſolum potentias motrices naturales per ſe movere humores & ſpiritus, alias per accidens: quare ſequitur & illas quoque magis per ſe alterare quam alias. Reliquæ omnes, quæ quaqua ratione alterant, alterant tantum quatenus dependentia quadam naturali motricem naturalem, viſceribus & præcipue cordi inexſiſtentem, in

in consensum trahunt & excitant: quæ tum sanguinem & spiritus movet, quorum accessu & recessu partes alterantur. Hac ergo ratione alterandi per accidens, maxime alterat virtus motiva naturalis, quæ est in corde, qualiscumque demum ea sit; quippe quæ spiritum vitalem & sanguinem in universum corpus distribuendi, & inde iterum ad cor revocandi, immediatam habet potestatem. Sic alterat & virtus illa, quæ in cerebro exsistens, animales spiritus dispensat, & ad sensoria externa emittendi, & in somno & animi passionibus ad se denuo revocandi, habet potestatem. Ita alterat etiam potentia peculiaris hepati inexsistens, sanguinem venosum per venas in universum corpus dispensans. Sic etiam omnium partium attractrix, retentrix, expultrix alterant, quatenus sanguinem, spiritus, excrementa localiter ad alia atque alia membra movendo, sese privative, alia vero ad quæ movent positive immutant. Porro potentia motiva animalis etiam potest corpus alterare, sed valde per accidens, & quidem variis modis. Primum, quatenus potest corpus exercere, & exercendo, per motum, qui est calefactivus, vel per spirituum & sanguinis agitationem, calefacere. Secundo, quatenus potest cibos & remedia calida frigidave corpori adhibere, à quibus ipsum alteratur. Potentia appetitiva per

suas

ſuas actiones, ſeu animi paſſiones, poteſt etiam corpus plurimum alterare, ut quotidiana experientia conſtat: ſed ea tantum ratione alterat, qua potentiam motricem naturalem cordis in conſenſum trahit & excitat, quæ per ſe ſpiritum & ſanguinem celerrime per univerſum corpus movet; quo motu partes à quibus illos avocat refrigerat, ad quas vero mittit, calefacit. Sic ira & gaudium, calorem; triſtitia & metus faciunt frigiditatem. Sic etiam potentiæ cognoſcitivæ, & inprimis ſenſus interni, ut phantaſia, corpus alterant, ſed adhuc longe magis per accidens. Eatenus enim alterant, quatenus operando movent appetitum, appetitus movet potentiam cordis, potentia cordis movet ſanguinem & ſpiritum; qui per ſe alterant. Sic imaginatio mortis, inferni, paupertatis, refrigerat, pallorem, canitiem, aliaſque qualitates inducit; contra, cogitatio ſumendæ vindictæ, honorum, opum, pacis, calorem inducit & ruborem: illa, metum & triſtitiam; hæc, iram & gaudium cauſando. Non tantum ſenſus interni, ſed & externi temperiem mutant; ſed longe adhuc remotius, magiſque per accidens; nempe quatenus illi actione ſua movent phantaſiam, phantaſia movet appetitum, appetitus potentiam cordis, potentia cordis ſanguinem ſpirituſque. Sic videndo præcipitia, audiendo

fures,

fures, guſtando venenum, tangendo gladium, refrigeramur & palleſcimus: contra, videndo inimicum fugientem, audiendo nuntia læta, &c. incaleſcimus & rubemus. Quia nimirum per illas ſenſationes pariter metus & triſtitia, per has ira & gaudium excitantur; ut de ſenſibus internis diximus. Alio modo etiam per operationes potentiarum cognoſcitivarum & quarumcumque aliarum potentiarum poteſt corpus alterari; quatenus intenſa operatio unius potentiæ eſt cauſa diminutionis & remiſſionis alterius. Sic ſtudio & nimiis cogitationibus læditur concoctio, generantur in corpore cruditates, cor & hepar refrigerantur: è contra, nimiis comeſſationibus, id eſt, nimia facultatis concoctricis occupatione, cerebrum refrigeratur, &c. Quod etiam per accidens, ſanguinis, ſpirituum & caloris motu fieri poteſt. Ubi enim anima uni alicui operationi valde eſt intenta, eo ſanguis, ſpiritus calorque feruntur; ab aliis, quibus minus eſt intenta, recedunt. Ex quo eſt manifeſtum, has potentias non niſi remotiſſime & valde per accidens, & vere non effective, ſed tantum occaſionaliter, alterare. Etenim potentiæ illæ à natura non ſunt deſtinatæ ad alterandum, ſed ad alias operationes ſibi proprias; motivæ ad movendum, cognoſcitivæ ad cognoſcendum: quæ ſunt ope-

rationes ab alteratione plurimum diversæ. Facultates concoctrices, pro natura partium quibus inhærent, sunt diversæ: aliæ ex alimento generant chylum, aliæ sanguinem, aliæ spiritum, aliæ semen. Omnium finis est alimentum essentialiter transmutare. Illa essentialis permutatio fit prævia alteratione: quare omnes ut primo alterent est necessum. Per se itaque solæ potentiæ in conclusione mentionatæ alterant: per accidens, omnes illæ alterare possunt, quæ quàqua ratione causa sunt humorum, spirituum aut excrementorum ad aliquam partem motus. Dictum autem supra est conclusione 5. animam per se non alterare corpus proprium, & conclusione 13. per se non alterare corpus remotum, sed solummodo corpus alienum internum. Ex quo sequitur illas potentias quæ per se alterant, non alterare corpus proprium seu animatum, sed tantum corpus alienum, seu inanimatum intra corporis proprii peripheriam contentum. Contenta ergo corporis, humores, spiritus, semen, excrementa, alterantur per potentias illas quæ per se alterant: corpus proprium alteratur, non per potentias per se alterantes, sed per potentias alterantes per accidens. Contenta enim corporis concoquuntur, non ipsum corpus: corpus vero ipsum alteratur humorum & spirituum applicatione; non vero

humorei

humores aut ſpiritus applicatione ſuiipſorum. His ſuppoſitis fundamentis, quæritur nunc

QUÆSTIO IV.

An anima aliquid agat per potentiam imaginativam.

ET videtur quod ſic: primum authoritate. Etenim infiniti authores diverſas & admirandas virtutes ei adſcripſerunt; ipſummet vulgus & totus mundus dicit, & quaſi pro comperto habet, per imaginationem mirabiles effectus contingere, & in corpore proprio, & alieno: & non tantum hoc viri mediocriter docti, ſed & mulierculæ ipſæ norunt & prædicant: Vox autem populi, Vox Dei.

Ariſt. lib. 3. de anima cap. 3. dicit, quod per phantaſiam multa agere & pati contingat; & ſubjungit, ex eo quod imaginationes immanent, ſenſibuſque ſimiles ſint, beſtiæ atque homines agunt: & lib. de motu animalium cap. 6. Alterant, inquit, phantaſia, & ſenſus, & meditationes. Aliquo enim modo ſpecies intellecta calidi & frigidi talis exſiſtit, qualis & rerum unaquæque.

Avicenna ſen. 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 14. dicit imaginationem magnam vim habere. Etenim imaginationem factam tempore

conceptus, dicit fœtum assimilare rei imaginatæ; sola imaginatione rei austeræ, stuporem dentium; imaginatione doloris, dolorem verum induci; aliaque. Idem 4. 6. natural. cap. 6. & 9. metaph. scribit, posse animam humanam per fortem imaginationem non solum proprium corpus, sed etiam externum realiter transmutare; posse corpus sanum ad ægritudinem, & ægrum ad sanitatem convertere; corpora fascinare; grandines, nives, ventos excitare, & siderum virtutes à cœlis depromere; hominem longe remotum & equo insidentem dejicere, & in puteum prosternere. Dicit tamen non cujusvis hominis phantasiam illam potentiam habere, sed illius qui animam habuerit excellentiorem & puriorem, & à fæce materiæ magis abstractam, & sub felicissimo sidere & imperio Jovis conceptam. Talis enim virtutes, inquit, à Jovis influxu recepit, & quasi est ipsa Jovis imago: adeo ut per influxum ab eo acceptum, non tantum operetur quasi anima, sed quasi ipse Jupiter. Unde sicut Jupiter & cœlestia corpora imperium habent in hæc sublunaria; ita etiam talis anima, influxu & virtute Jovis affecta, mediante sua imaginatione, habet, inquit, potentiam pro imperio sublunaria corpora permutandi. Et 4. 6. natural. cap. 4. dicit id mirum non esse; quandoquidem anima sit forma spiritualis,

& corpori non neceſſario cohærens, adeoq; congenea ſupernis intelligentiis: quas uti abſolutam in corpora ſublunaria poteſtatem habere, & per ſe formas in materiam eorum inducere poſſe putat; ita quoque putat animam eorum naturam imitari, in tantum, ut agere poſſit ſine contrario, operari in diſtans ſine medio, & tantam in res omnes materiales exercere poteſtatem, ut plus ab ea quam ab ipſis agentibus naturalibus valeant alterari; ſic, ut poſſit hominem ſine matre, utero & ſemine, & plantam ſine ſemine generare. Quæ ita certa eſſe credit, ut 2. 1. ſuæ philoſophiæ ineptos omnes eſſe dicat qui hoc non credunt.

Hanc ſententiam ſcribunt ſecutum eſſe Avicembronem philoſophum Maurum, Algazelem 5. phyſ. cap. 9. & nonnullos alios.

Similes etiam propemodum virtutes imaginationi adſcribunt Marſilius Ficinus lib. 3. Theol. Plat. c. 13 Andreas Caraneus Imolenſis lib. de intellectu & de cauſis mirabilium effectuum; Pomponatius lib. de incantat. Paracelſus lib. de ſignat. rerum; Agrippa lib. de occ. philoſ. Jac. de Forlivio 3. tech. quæſt. 11. Cælius Rhodiginus lib. 20. c. 15 qui tantum imaginationi tribuunt, ut plurima, quæ omnes faſcinatione diabolica vel miraculo fieri putant, ipſi ſola fortis imaginationis virtute fieri credãt. Sic putant

per imaginationem Apollonium Tyaneum mirabilia opera præstitisse; Empedoclem ex hostis agro segetem in suum transtulisse; aliquos naturaliter fascinare posse; sola imaginationis virtute sanguinem ex interfecti corporis vulnere exire, &c. Imo tantum imaginationi adscribit Pomponatius, ut putet ossa canum tanta posse miracula facere, si à colente ea putarentur esse ossa Sanctorum, quam si vere ossa Sanctorum essent, per solam colentis imaginationem. Et aliqui, inquit Christophorus à Vega lib. 2. art. med. sect. 6. putant homines illos in Hispania existentes, qui *Salutatores* vocantur, sagittas & spicas ex corporibus vulneratis evellere, & per ignem ac districtos enses sine noxa, sola virtute imaginationis, incedere posse.

Porro & Hippocrates, & Empedocles, & Plutarchus, & Soranus, & D. August. & D. Hieron. (quorum infra authoritatem adducemus) & infiniti alii, etsi non illam quam præcedentes, magnam tamen etiam potestatem imaginationi adscripserunt. Quin & D. Thom. part. 3. quæst. 13. art. 3. ad 3. fassus est imaginationem multam in corporis mutatione vim habere, posseque corpus & quoad motum localem, quoad alterationem, & secundum multa accidentia immutare.

Probatur secundo ratione. Scribit Arist. in 3.

in 3. de anima cap. 5. quod scientia, quæ est actu, est idem quod res: & alibi dicit, quod intellectus intelligendo fiat ipsum intelligibile: quod intelligendum quidem est, non quod fiat ipsum intelligibile realiter, sed saltem spiritaliter. Sicuti enim subjectum quod recipit realem calorem, fit realiter calidum: ita potentia quæ recipit speciem caloris, fit spiritaliter calida; & sic de aliis sensibilibus. Atqui unumquodque, sicut est, ita potest operari. Ergo phantasia, quale sensibile fit imaginando, secundum talis sensibilis naturam potest operari. Ergo, si phantasia fit spiritaliter calor, poterit calefacere; si fit spiritaliter frigus, potest refrigerare; si spiritaliter color, potest colorare; & sic deinceps. Etsi autem fiat ipsum sensibile tantum spiritaliter, tamen operatur realiter: quia, ut inquit Aristot. lib. de motu animalium cap. 6. species habent rerum virtutes. Cum ergo phantasia possit omnia sensibilia percipere, & percipiendo fiat omnia; sequitur, quod possit omnia operari.

Tertio; Quid miri est, si anima humana, quæ est tam nobilis & excellens, incorruptibilis, & divina, spiraculum à Deo spiratum, habeat aliquam potentiam tam excellentem, per quam tam admirabilia possit præstare? præcipue animæ aliquæ nobiliores & excellentiores? Etenim multorum

Scholasticorum sententia est, non omnes animas esse æque nobiles, sed unam alia nobiliorem à Deo creari; & unam, non solum ratione majoris & minoris perfectionis corporis, sed etiã essentiali & intrinseca bonitate, alia esse perfectiorem : ut de anima Christi & anima Judæ exemplificant. An non videmus in multis aliis rebus naturalibus longe ignobilioribus corpore animato esse admirandas virtutes, quibus res externas & longe dissitas afficere possunt, & in eas stupendas vires exercere ? ut de magnete est manifestum. Quidni ergo etiam animæ concedi possit potentia aliqua, per quam habeat vim admirabilia perpetrandi ? Nec quicquam est, quod nos ignoremus quomodo id facere possit ; cum videamus tam multa alia effectus edere, quos qua virtute & quomodo edant ignoramus. Quomodo echeneis naves remoretur, quomodo ambra paleas, naphtha ignem, magnes ferrum trahat, adamas ejus virtutem compescat, quomodo charadrius avicula conspecta icterum curet, basiliscus visu occidat, & similia multa ignoramus ; quæ tamen fieri Aristotel. 2. histor. animalium cap. 14. Plutarchus 5. Symposiac. quæst. 7. Ælianus hist. animal. lib. 17. cap. 13. Plinius variis locis, attestantur. Quid mirum ergo, si etiam animam per imaginationem multa præstare credamus,

quæ

quæ tamen quomodo præstare queat ignoramus?

Accedit quarto, quod à multis memoriæ proditum sit, nonnullos homines, gentes & nationes, imo etiam & bestias, peculiares habere proprietates, per aliquas alias animæ potentias mirabilia præstandi. Quidni ergo pariter dici possit, quod sicuti per illas potentias in externa agere, & ea vario modo affi. ere possunt; ita aliqui singulari proprietate etiam per potentiam imaginativam similia & majora agere possint? Scribit Plinius lib. 7. cap. 2. ex Cratete Pergameno & Agatharchide, circa Pontum fuisse gentes Ophiogenes, in Africa Psyllos, in Italia Marsos, qui serpentum venenum solo attactu compescebant, & ictus eorum curabant. Scribit ibidem de Pyrrho rege, quod solo pollice pedis attingendo, lienosos persanabat. Alii scribunt de imperatore Vespasiano, quod etiam solo attactu multos curabat. Sic Galliæ reges scrofulas solo attactu curant; & vulgo septimus quisque, non interrupta serie, filius eadem facultate præditus putatur. Scribit Michael Medina lib. de recta in Deum fide cap. 7. se novisse puerum quendam, qui gratiam sanitatis habere dicebatur, qui multos homines solo attactu gravissimis morbis liberabat. Annon etiam echeneis solo attactu navem firmat? Sic sunt alii qui

fascinant & interimunt videndo. Scribit Plinius ex Isogono loco citato, in Triballis & Illyriis gentes esse quæ solo visu fascinabant. De Thibiis Ponti gente ex Philarcho idem Plutarchus refert 5. sympos. quæst. 7. Sic basiliscus testim. Gal. lib. de Theriaca, catoblepa teste Pomponio lib. 3. cap. 4. Plinio lib. 8. cap. 21. & Solino cap. 32. visu interimunt. Rubeta paluſtris, teste Æliano lib. hist. animalium, visu pallorem inducit; lupus teste Plinio lib. 8. cap. 22. & Solino cap. 7. raucedinem: testudo visu ova excubat. Sunt alii qui loquendo & verbis solis prolatis mirabilia possunt præstare. Scribit Plinius loco citato ex Nimphodoro, in Africa familias esse, quæ laudando arbores fascinent, & pueros interimant. Scribit Homerus lib. 9. Odysseæ, Autolici filium fluxum sanguinis carmine sedasse: quod alios etiam facere Q. Serenus cap. 33. refert. Scribit Cælius Aurelianus 1. chronic. Adrianum imperatorem aquam inter cutem quibusdam verbis eduxisse. Marcellus scribit quibusdam verbis sordes oculos ingressas elui. Scribit Ætius lib. 8. cap. 50. spinam uvulæ infixam verbis extrahi; & vermes, epilepsiam, dentium dolorem, precibus sanari. Plinius lib. 28. c. 2. ex Theophrasto, Varrone & Catone, scribit ischiadem, podagram, & luxata membra carmine curari: & Trallianus lib. 6. cap. 4. scribit

in

in morbis incantationes & certorum verborum pronunciationem plurimum prodesse. Conciliator differentia 156. dicit se vidisse aliquem, qui proferendo aliquot verba in aurem tauri, eum prosternebat. Scribit Antonius Benivenius lib. de abd. caus. cap. 26. sagittam cujusdam militis pertinaciter hærentem carmine excidisse. Si ergo tangendo, videndo, loquendo, homines & animalia tantam virtutem habent, quomodo non eandem habebunt, & longe majorem, imaginando? Quin imo videntur hi omnes effectus imaginationi potius quam prædictis actionibus esse adscribendi. Non enim videntur tam à visione, attactu, aut locutione, quam potius vehementi imaginatione cum illis conjuncta promanasse. Accedit quod supra ex Avicenna & D. Augustino dictum sit, quemdam cum volebat corpus suum paralysi afficere potuisse; alium pro arbitrio aures movere; alium capillitium totum in frontem dimittere, & iterum attollere; alium cibos deglutitos singulos pro voluntate sursum adducere; alium sudores, lacrymas emittere; alium se omnibus animæ functionibus ita pro libito privare potuisse, ut mortuus videretur, & punctus dolorem non sentiret.

Tertio, probatur experientia: quia videmus quotidiè fœtus matrum imagina-

tione

tione signari; homines de peste imaginantes in eam incidere; remedia nullam naturalem agendi vim habentia, sola portantis imaginatione morbos curare; cibos etjam malos cum desiderio sumptos prodesse.

Conclusio XX. Anima nihil agit per se per potentiam imaginativam: id est, phantasia seu potentia imaginativa non est activa, nec per se directe & propria virtute in ulla corpora agit.

Pro quo est notandum, potentiam imaginativam esse quidem activam, quia est potentia, omnis autem potentia est activa; sed non esse activam nisi suæ operationis & imaginationis, & ejus actionem immanere ei, & non exire extra potentiam; & sic præter suam nudam cognitionem nihil ad extra effective in corpus, seu proprium seu alienum, agere, nec illud ullo motus genere directe & per se mutare, movere aut alterare.

Hæc conclusio probatur generaliter; Quia imaginatio est potentia cognoscitiva; potentiæ autē cognoscitivæ à philosophis passivæ dicuntur, ex eo quod ipsæ à speciebus cognoscibilibus afficiantur, eas recipiant, & recipiendo in se vitaliter eliciant judicium & cognitionem, & præter cognitionem suam ulterius effective nihil agant. At potentiæ motivæ & vegetativæ dicuntur

tur potentiæ activæ, eo quod earum actio transeat in corpus, & ipsæ in corpus & ea quæ in corpore continentur vim exerceant, eaque motu locali, alterationis, & aliis motus speciebus immutent. Ergo imaginativa non est activa.

Probatur secundo clarius: Omnis cognitio est actio immanens: imaginatio est cognitio: ergo imaginatio est actio immanens: at actiones immanentes sunt infœcundæ, & non sunt activæ: ergo nec imaginatio est activa. Minor probatur: Actio quæ in alio aliquid facit, recipitur in eo in quo facit, seu in passo; nam ubi non recipitur actio, ibi non est passio, nec consequenter productio effectus. At actiones immanentes non recipiuntur in alio, sed manent in potentia, & ideo appellantur immanentes. Ergo.

At objiciet aliquis: Aristot. 3. animæ cap. 3. dicit, ideo animalia, bestias & homines per imaginationem multa agere, quia imaginationes immanent, sensibusque similes sunt: ergo tantum abest ut imaginativa ideo non sit activa, quod ejus actio immaneat, ut potius per hoc videatur debere esse quam maxime activa. Verum respondeo, Aristotelem ibi non loqui de actionibus immanentibus aut efficacia earundem, & ibi non velle dicere, quod imaginatio per hoc, quod sit actio immanens, habeat

habeat vim per se realiter alterandi; sed disputare in illo capite de potentia imaginativa, qualis ea sit, an scilicet à sensu, intellectu & opinione sit diversa, & docet quod sic; & quod non tantum sensus & intellectus sint causa diversarum motionum in corpore, sed etiam phantasia: & ibi docet etiam phantasiam movere appetitum & alias potentias, unde variæ contingunt in corpore motiones & alterationes. Et hoc est quod dicit phantasiam posse, & non quod realiter per se immediate alteret; etsi dicit in animalibus phantasiam esse plurimarum motionum causam, & præcipue in bestiis, in quibus phantasia præest corporis gubernationi, & à nulla superiore potentia intellectiva coercetur; sæpe etiam in hominibus, quando scilicet intellectus per amentiam, animi passiones, aut somnum impeditur; nam tunc ipsi sola imaginatione ducuntur, & operantur ex præscripto imaginationis, & non intellectus. Et ideo, inquit, imaginatio multarum motionum in corpore causa est, quia ipsa, inquit, sensibus similis est, & ita à speciebus sibi post absentiam objectorum externorum inhærentibus movetur, sicuti moveretur à speciebus quæ præsentibus objectis per sensus hauriuntur; propterea quod species in ea remaneant, & non statim pereant & evanescant. Nam hinc etiam absentibus objectis

objectis adhuc movetur, & consequenter alias potentias excitat, & quovis tempore corpus movet & permutat: quod non faceret, si ejus species in potentia non remanerent. Quando enim illæ periissent, non amplius phantasiam afficerent; phantasia non mota non etiam moveret alias potentias: & sic animal quiesceret, & non permutaretur.

Probatur conclusio secundo: Si per imaginationem vel actum alicujus potentiæ cognoscitivæ aliquid alteraretur, vel illud deberet esse objectum ipsum quod recipitur, vel ipsum organum quod recipit, vel alia aliqua corporis pars. Non objectum; quia ipsum nihil patitur à sensu, sed agit in sensum, & est externum; & cum res aliqua percipitur, illa per nostram perceptionem realiter non mutatur, sed manet in suo esse, & secundum omnes suas qualitates, sicut erat ante, ut bene dicunt Themistius & Alexander. Non organum; quia organum receptione intentionali objecti alteratur solum alteratione perfectiva, non autem corruptiva & reali: nam cum gusto amarum, lingua mea non fit amara; cum video rubrum, oculus meus non fit ruber; cum sentio calorem, cutis mea non fit realiter calida, nisi in quantum cum actione intentionali objecti est conjuncta actio materialis & corruptiva, quod est sensui per accidens;

quia

quia tum organum non afficitur ut organum, nec patitur ab objecto ut sensibili, sed tantum sicut unum corpus mixtum potest ab altero pati & alterari, etiamsi non sit animatum: nam nulla sensibilia, ut talia, in sensum, ut sensum, aliter agunt, quam intentionaliter, ut bene disputat Zabarella in libello de sens. agente cap. 4. Non etiam alteratur alia aliqua corporis pars; quia ipsa actio cognitionis non transit, sed immanet potentiæ & organo. Ergo nulla pars potest ab imaginatione alterari.

Probatur tertio, exemplo aliarum potentiarum cognoscitivarum, quarum nulla in homine est activa: Sic visiva nihil aliud facit quam suam visionem; auditiva nihil aliud quam suam auditionem. Præter visionem & auditionem nullam in corpore nostro ab iis percipimus mutationem: sive videamus, sive oculos claudamus, eodem modo constituti sumus. Visio ut visio, nihil efficit: nec quia videmus ignem, ideo incalescimus; nec quia glaciem, ideo refrigeramur; neque videre res motas facit nos moveri; nec quiescentes, plus minusve quiescere. Idem in omnibus aliis sensibus est manifestum. Non per hoc, quod imaginamur ignem, calidi fimus; nec per hoc, quod imaginamur glaciem, frigidi; nec imaginando & appetendo intensissime corporis albedinem, albi, aut nigredinem,

gredinem, nigri simus; nec imaginando simpliciter motum, ideo movemur, aut imaginando quietem, quiescimus: quamvis per accidens fiat, ut aliquando moveamur, vel quiescamus; saltem per solum actum imaginationis id non fit. Quod si id à simplici & sola imaginatione fieri posset, paralytici intensissime imaginantes & appetentes motum, imaginatione sua se moverent; & febrientes imaginando frigiditatem, & sticuloſi imaginando humiditatem, & cæci imaginando sanitatem, frigidi, humidi, & bene videntes evaderent. Quod enim aliquid per se facit, illud est natum illud facere semper. Accedit quod nec naturæ imaginationis, nec sensuum, aut ullius potentiæ cognoscitivæ conveniat, ut sint activæ. Quia sic animalia nunquam illarum potentiarum operationes exercere, & nunquam quicquam cognoscere possent, quin semper mutarentur, moverentur alterarenturque: quod reliquas omnes animæ actiones, & sanitatem, & statum corporis semper perturbaret, & ἀνεπάθειαν quandam induceret.

Pro cujus conclusionis majori intelligentia, res hæc particularius est explicanda. Quapropter sciendum quod, si phantasia haberet vim agendi, & tam mirabilia opera præstandi, deberet ea facere per aliquam speciem motus; vel scilicet per motum

tum localem, vel per alterationem, vel auctionem, vel generationem, & præcipue vel per motum localem, vel per alterationem. Nam si phantasia posset alterare, posset & essentialiter transmutare; & si non posset illud, etiam nec hoc posset: nam generatio omnis à prævia pendet alteratione. Quapropter ut vires phantasiæ perfecte sciamus, specialius investigandum est

An phantasia aliquo istorum motuum corpora possit immutare, & imprimis an possit alterare. Etenim si posset alterare, posset morbos & ægritudines facere, nempe eos qui à temperamento pendent; posset etiam inducere secundas qualitates, utpote quæ pendent à primis; posset esse causa productionis & generationis variarum rerum; & posset mirandos facere effectus in illis corporibus, sive proprio sive alieno, ad quæ ejus potestas extenderetur. Est etiam videndum, an possit corpora ulla localiter movere. Quia si saltem posset movere localiter, posset applicando activa passivis multa præstare. Quo modo & voluntas angelica, etsi non habeat vim alterandi, quatenus tamen habet vim loco movendi, nihil non potest. Si localiter per se movere posset spiritus & humores, posset morbos ex intemperie curare; posset etiam producere, activa passivis applicando; posset facere morbos in conformatione, & factos curare;

rare; posset surdos facere audientes, & cæcos videntes, humores in membra impellendo vel amovendo: & inducendo qualitates primas, posset etiam inducere secundas, & fœtum variis coloribus signare. Si etiam res externas movere posset, posset etiam (quod dixit Avicenna) & homines, & animalia fascinare, elementa turbare, & ventos, pluvias, & tempestates ciere. Quapropter ad sciendum an aliquid istorum facere possit, videndum, an possit alterum illorum motuum ciere. Imprimis ergo quæritur

QUÆSTIO V.

An phantasia possit ullum corpus movere suo loco.

ET videtur quod sic, primo authoritate. Etenim Aristot. 3. de anima cap. 10. dicit, phantasiam & appetitum corpus proprium localiter movere. Et lib. de communi animalium motu, dicit cogitationem, visum, voluntatem, selectionem, cupiditatem animalibus motum adferre. Et D. Thomas part. 3. quæst. 13. art. 3. ad 3. dicit, quod imaginationi, si sit fortis, naturaliter obedit corpus quoad aliqua, puta, inquit, quoad casum è trabe; quia imaginatio est nata esse principium motus localis; ut est, inquit, 3. de anima. Et Cajetanus 3. de anima cap. 6.

cap. 6. & plerique Thomistæ dicunt, quod imaginativa sit principium motus localis, & quod ipsa corpus animatum effective moveat, quoad motum voluntarium, & præter eam nulla sit alia specialis potentia locomotiva.

Secundo probatur ratione. Quia, quando imaginatio vult aliquod membrum moveri, statim illud membrum movetur; & cum vult ut à motu cesset, statim etiam cessat: adeoque pro nutu & imperio, & quando & quomodo & quantum ipsa vult, membra moventur: ergo moventur à phantasia. Sequela probatur: nam si à phantasia non moverentur, sed ab alia aliqua facultate, non penderet motus eorum ita absolute ab illa, sed solum à dispositione suæ veræ & efficientis ac proximæ causæ, seu illius facultatis à qua moverentur. Unde videtur, quod phantasia per se & effective moveat ipsum corpus proprium, seu ipsum corpus animatum.

Videtur etiam quod moveat corpus alienum, nempe spiritus & humores. Etenim propter actiones phantasiæ spiritus & humores celerrime, modo huc, modo illuc, in corpore moventur. Ergo moventur à phantasia. Etenim imaginando terribilia, homines tremunt, refrigerantur, pallent, in syncopen incidunt; imaginando jucunda & læta, rubent, incalescunt, oculi eorum

eorum fiunt flammei & radiantes, sæpe extemplo moriuntur; imaginatione veneris, coles extenditur. Hoc non alia ratione contingit, nisi quia propter ejusmodi cogitationes spiritus & sanguis quam celerrime, intro, foras, sursum, deorsumq; moventur. At nihil aliud videtur eos movere, quã illæ cogitationes & imaginationes, immediate enim post tales cogitationes ita moventur; & nihil aliud videtur mediare, à quo dici possint ita moveri: ergo phantasia illos movet. Hoc dicunt & tenent Conimbricenses, Thomas à Vega, Valesius, Picolomineus, &c.

Conclusio XXI. Phantasia per se non movet secundum locum corpus proprium seu animatum.

Probatur conclusio. Membra corporis, ut ostensum est conclusione 16. vel moventur motu voluntario, vel naturali. Phantasia non est causa motus naturalis, ut omnes fatentur, quia ille motus non obedit phantasiæ, sed fit à propriis potentiis naturalibus motricibus; non etiam est causa motus voluntarii membrorum. Ergo nullius. Quod non sit causa motus voluntarii, probatur: quia causa ejus est potentia quædam locomotiva à phantasia distincta, ut medici tenent; vel saltem est potentia appetitiva, quæ etiam est à phantasia distincta, ut tenent plerique philosophi: ergo non est phantasia.

Pro

Pro hujus quæstionis intelligentia, quia est valde difficilis & controversa, est notandum, ad motum concurrere tres actiones se mutuo ordine necessario consequentes, cognitionem, appetitionem, & motionem. Etenim motio est ad aliquid prosequendum vel fugiendum: non prosequimur aut fugimus, nisi quod appetimus aut declinamus; itaque concurrit appetitio: non appetimus, nisi quod cognoscimus; itaque concurrit cognitio. Prima ergo est cognitio, inde sequitur cogniti appetitio, ultimo est appetiti prosecutio, quæ fit per motum. Non est dubium, quin cognitionis causa sit phantasia, & in hominibus etiam intellectus: sed est quæstio, quid edat duas reliquas actiones, an phantasia, an aliæ potentiæ peculiares. Si phantasia eas ederet, equidem vere esset causa motus membrorum: si non, sed sint aliæ potentiæ quæ eas edant ubique, nec phantasia potest dici motus localis causa: at sunt aliæ: ergo phantasia non est causa ejus. Subsumptum probatur: Phantasia non est causa appetitionis, sed propria potentia appetitiva: ergo cum appetitio mediet inter cognitionem & motionem, sequitur phantasiam non movere, sed proximius movere ipsam appetitivam. Quod autem phantasia & appetitiva sint potentiæ diversæ, docet Arist. 3. animæ text. 29. & 42. & 6. Ethic. cap. 6. &

idem

idem docet Galenus, & Plato, quippe qui phantasiam in cerebro, appetitum irascibilem in corde, concupiscibilem in hepate posuerunt, & D. Thomas part. 1. quæst. 81. art. 1. Et probatur ratione. Quia cognitio tendit in verum, appetitio tendit in bonum: at illæ sunt rationes objectorum formaliter diversæ: quare ut & potentiæ sint diversæ est necessum. An autem appetitiva tantum faciat appetitionem, an vero insuper membrorum motionem, dubium est. Plurimi dicunt appetitum facere utramque, & appetitionem & membrorum motionem; & illas esse duas actiones ejusdem potentiæ, se mutuo necessario consequentes: & ita appetitivam & motivam esse unam & eandem potentiam, formaliter tantum distinctas; & ratione qua facit appetitionem, dici appetitivam, qua vero movet membra, dici locomotivam; & præter appetitivam, nullam esse aliam locomotivam ab illa diversam. Et hanc sententiam tenent plurimi philosophi, & putant esse Aristot. 3. animæ cap. 10. & lib. de communi animal. motu; ubi videtur expresse ponere appetitum esse principium motus voluntarii. Verum ista sententia non est vera: quia appetitus non efficit per se motum elicitive, sed tantum imperative.

Præter appetitum autem est insuper adhuc alia potentia membris inhærens, quæ per

per se proxime est exsecutiva motus, & illa vocatur potentia locomotiva; ab appetitu plurimum diversa, & à medicis vocatur motiva animalis seu voluntaria, & utitur nervis & musculis ad suam actionem edendam.

Hæc sententia est Galeni variis locis in libris de usu partium & motu musculorum, de causis symptom. de locis affectis, &c. & eam sequuntur omnes medici, Fernelius, Thomas à Vega, Valesius, & reliqui omnes. Eam quoque tenet Aristoteles loco citato; ubi dicit quidem, appetitum esse principium motus, sed præter eum dicit adhuc esse aliud. Etenim textu 55. dicit tria esse quæ movent illo genere motus: primum, quod movet immotum, ut objectum seu bonum apprehensum; secundum, quod movet motum, ut appetitus, movetur enim ab objecto & movet; & insuper dicit esse tertium movens, adeoque proximum, quod dicit ipsius appetitus esse instrumentum, & in singulis membris esse quærendum. Per quod nihil aliud intelligit, quam potentiam locomotivam cerebro & singulis membris, ac maxime musculis inexsistentem, & ab appetitu diversam. Eandem sententiam etiam manifeste tenet D. Thomas in opusculo 43. c. 5. ubi dicit quod appetitus imperat motum secundum locum, æstimativa dirigit, motiva exsequitur.

exſequitur. Quod etiam multi alii philoſophi, ut Zoares, Vaſquez, Conimbricenſes, &c. tuentur.

Et probatur ratione. Primo; Appetitus facit appetitionem, ergo non facit motionem. Sequela probatur. Nam illæ actiones ſunt diverſi generis: & appetitio eſt actio immanens; motio vero eſt actio tranſiens.

Probatur ſecundo: Aliqua animalia ſunt quæ habent ſenſum & appetitum, & tamen non moventur: ergo appetitus non eſt cauſa motus.

Tertio: Si appetitus eſſet cauſa motus, motus non poſſet fieri ſine ſpeciali applicatione, advertentia, ac actu ipſius, nec motus poſſet prævenire appetitum & cognitionem. At ſæpe fit motus nobis non volentibus; ſæpiſſime ſine advertentia, deliberatione & cõſideratione. Ergo nõ fit elicitive & proxime, & per ſe ab ipſo appetitu.

Quarto: Certum eſt, quod appetitus motum imperet: at de ratione actus imperati eſt, ut non fiat elicitive ab illa potentia à qua imperatur, ſed ab alia: ergo. Sic appetitus excitat etiam potentiam viſivam ad videndum, phantaſiam ad imaginandum; ipſe tamen non eſt elicitivus actionum illarum. Sicuti ergo illos actus imperat, & non facit; ita conſentaneum eſt, ut cum imperet motum, ipſum quoque non faciat.

Quinto: Si appetitus immediate & elicitive moveret, semper cui appetimus moveri, deberemus moveri: at hoc non fit; quia sæpe appetimus moveri, & tamen non movemur, ut cum arthritide & paralysi laboramus: ergo.

Dicet aliquis, hoc esse, non quod in membris sit aliqua peculiaris vis activa motus, sed quod membra non sint disposita ad hoc, ut ad appetitu possint moveri; non enim potest appetitus, aut potentia aliqua movere quidvis, sed tantum membra apta & disposita recipere actionem ejus: & ideo ex eo quidem arguitur, præter appetitum, esse bene in membris aliquam potentiam motivam, sed eam dicunt non esse potentiam activam & effectivam motus, sed tantum passivam, & esse solum dispositionem, per quam membra sint apta ab appetitu moveri: quod dicunt Ferrariensis, Medina, Bannes, Picolomineus, aliique.

Sed respondeo, præter ejusmodi passivam potentiam, esse aliam potentiam activam, quæ est proxima & elicitiva motus causa. Nam præter appetitum, sentimus manifeste in nervis, musculis & tendinibus membrorum, esse vim aliquam & impetum per quem movemus: quam vim sentimus post labores & ægritudines in nobis flaccescere, & motum solito more præstare non

non posse. Etenim cum scribo, quis credat manum meam tantummodo passive, non autem active concurrere ad scriptionem? Illam vim videtur etiam indicare meu brorum conformatio, varietas tendinum, ossium, articulorum, nervorum, musculorum; quæ non videretur necessaria esse, si tantum passiva, & non activa aliqua vis in membris resideret. Etenim motus localis est motus valde imperfectus, & non videtur requirere magnam in mobili dispositionem ad hoc, ut moveri possit. Et ideo conformatio illa varia quæ est in membris, non propter illam dispositionem aut potentiam passivam, sed propter aliquam activam à natura videtur esse instituta. Accedit quod (ut bene deducit Bartholomæus Vasquez 1. 2. quæst. 9. disp. 24. cap. 2.) si corpus nullam vim activam haberet ad motum, sed solum passive illum reciperet à phantasia & voluntate, sequeretur eadem velocitate nos posse moveri cum ægri sumus & lassi, sicut cum sani. Nam corpus etiam languidum & infirmum ab angelo eadem velocitate moveri potest, qua ab anima movetur cum validum est; non alia ratione, nisi, quia motus solum ab angelo recipitur in membra, absque ulla efficacia & concursu virtutis eorum. Ergo eodem modo à phantasia moveri posset, si totum motum ab illa reciperet, & non aliam ali-

quam peculiarem vim activam adjungeret. Et hinc est quod angelus, absque ulla alia dispositione, æque velociter movere possit corpus mortuum ac vivum, languidum & sanum, dispositum & non dispositum; modo eadem mensura gravitatis contineatur. Proinde pari ratione, si sola phantasia aut voluntas membra moveret, & nulla vis activa in membro existens concurreret, nulla dispositio videretur requiri ad hoc, ut phantasia illud membrum movere posset; sed videtur, quod tam cito & æque bene languidum ac sanum movere posset. Quapropter est manifestum, phantasiam aut voluntatem per se non movere membra, sed peculiarem quandam potentiam, quam medici motivam animalem vel voluntariam appellant. Veruntamen, quamvis nec phantasia nec appetitus per se eliciant & exsequantur motum, tamen concurrunt quam maxime ad motum. Nam imprimis appetitus concurrit, ut imperans motum, quia appetitus habet dominium despoticum super potentia motiva, & applicat eam ad opus, & sic est quasi principalis causa motus; & motiva est sicut famula ejus: & ideo sicut opera servorum adscribuntur dominis, ita operatio motivæ seu motus adscribitur non raro ipsi appetitui. Phantasia etiam concurrit ad motum dupliciter: primo, ut causa quædam remota & sine qua non,

non, quatenus non fieret appetitio si non præcessisset cognitio; secundo proximius, quatenus dirigit motum, & eum determinat & modificat. Etenim potentia motiva ex natura sua est indeterminata, & ad omnem motus speciem indifferens: phantasia autem dirigit eam, & facit ut sic vel sic moveat, hoc vel illud membrum, ad hunc vel illum situm. Et hac ratione etiam non immerito motus phantasiæ adscribi potest.

Ad argumenta respondetur. Ad primum: Bene ab Aristotele motum phantasiæ & appetitui adscribi, cum motus ab iis imperetur & dirigatur, ut jam dictum est, & motiva obediat eis: sed non ita adscribi, quasi ipsæ sint potentiæ motus elicitivæ, & nulla sit præterea alia potentia motus proximius executiva; quia eodem cap. (ut supra ostensum est) illam potentiam agnoscit, & in ipsis membris moventibus dicit residere. Ad D. Thomam eodem modo respondetur: Verum esse quod phantasia sit principium motus; sed non elicitivum.

Ad secundum respondeo: Per phantasiam membra non ita moveri, sed per appetitum: appetitus enim imperat motivæ, phantasia non. Et ideo per imaginationem non prius editur motus, quam actionem phantasiæ actio appetitus insequatur: sed motum ab appetitu imperandum phantasia dirigit. Quod autem membra pro ratione

& nutu earum ita moveantur, non arguit ea immediate & per se ab illis moveri, sed solum, unam imperium, alteram directionem in locomotivam habere, & locomotivam secundum imperium earum debere operari.

Conclusio XXII. Phantasia per se & directe etiam non movet secundum locum corpus alienum, seu humores & spiritus.

Pro cujus intelligentia duo sunt notanda. Primo, quod non negem, quin phantasia aliquo modo possit esse causa motus sanguinis & spirituum ad hanc vel illam partem: sed dico, quod ipsa non moveat illos effective, per se & immediate, sed tantum per accidens, excitando alias potentias, quæ illos per se movent. Est notandum secundo, quod non sit dubitandum, nec quispiam neget, quin regulariter & ordinarie sanguis & spiritus moveantur à potentiis animæ naturalibus seu vegetativis: sed hoc quæritur, an præter illas potentias motrices naturales, phantasia etiam non habeat potestatem eos solo nutu & imperio per seipsam movendi. Etenim quod sanguis & spiritus ordinarie, & semper, ac per se moveantur à facultatibus motricibus naturalibus, & non à phantasia, est manifestum. Nam attractrix & retentrix sunt potentiæ naturales & vegetativæ: illæ autem quid movent nisi humores & spiritus? non enim mo-

movent membra ipsa, sed in membris contenta: illa autem quid sunt, nisi humores & spiritus? Humores & spiritus sunt objecta facultatis nutritivæ, & sunt partium alimenta: at nutritivæ munus est non tantum alimenta concoquere, sed prius concoquenda attrahere, & concocta in alia membra transmittere: ergo nutritivæ munus est humores & spiritus movere; & illud munus non competit phantasiæ. Nam alimentum attrahere & expellere sunt operationes nutritioni inservientes, & sic potentiæ quæ illos actus edunt, sunt potentiæ famulatrices & ministræ ipsius nutritivæ. At phantasia non est potentia nutritioni inserviens, sed longe nobilior & excellentior. Ergo non est ejus humores & spiritus movere. Phantasia enim non cognoscit operationes naturæ, & ideo non potest illos secundum leges naturæ movere. Phantasia debuit quiescere & subinde cessare ab operando; potentiæ autem naturales in perpetuo opere debuerunt permanere. Atque ex his patet, sanguinem & spiritum, omnesque humores in corde, cerebro, hepate genitos, quando per venas, arterias, nervos in universa membra pro earum nutritione distribuuntur, non moveri à phantasia, sed à natura & potentiis naturalibus. Nam sive vigilemus, sive dormiamus, sive de sanguine & spiritibus imaginemur, sive non, &

ſive ea cognoſcamus, ſive non, ſemper illi per corpus modo ſuo eodemque moventur. Proindeque patet, quod per ſe & ordinarie moveantur à natura, & non à phantaſia. Dico autem in concluſione, quod non tantum ordinarie à phantaſia non moveantur, ſed nec unquam. Et hoc probo.

Primo: Si phantaſia ſanguinem & ſpiritum moveret, deberet habere notitiam internarum partium, ad quas & per quas illos moveret: at non habet: ergo.

Secundo: Si phantaſia moveret ſanguinem & ſpiritus, moveret eos quo vellet; ſicut qui dicunt phantaſiam eſſe cauſam motus voluntarii, dicunt eam membra movere quo vult: at ſic non movet eos: ergo. Minor probatur: quia, quantumcunque homo pallidus imaginetur, & velit ut ſanguis & ſpiritus in faciem feratur, aut quantumcunque rubicundus imaginetur ut recedat, quantumcunque quis imaginetur & velit ut ſpiritus in partem gangrænoſam feratur, ut bilis in ictero à cute ad folliculum redeat, aut ſanguis in hæmorrhagia & vulnere aut inflammatione ad originem retrocedat, nunquam propterea retrocedit.

Tertio: Si phantaſia per ſe moveret ſanguinem & ſpiritus, ſemper moveret; illud enim quod facit aliquid per ſe & ex propria natura, id natum eſt illud facere ſemper. At ſæpe fortiſſima imaginatio hoc non poteſt.

est. Ergo non per se, nec virtute propria movet.

Quarto: Si phantasia habuisset potestatem spiritus & sanguinem movendi, illud fuisset operationibus potentiæ vegetativæ summum impedimentum: nam phantasia eos sæpe contrariis motibus moveret, quam actiones vegetativæ exigerent. At natura facit quod melius est. Itaque non dedit phantasiæ talem potestatem spiritus & humores movendi.

Quinto: Videmus in corpore effectum unius facultatis non edi ab altera facultate; sic visum non facit alia facultas quam visiva, motum voluntarium non facit alia facultas quam locomotiva voluntaria, motum cordis non alia quam pulsifica cordis: quare verisimile est etiam motum spirituum & humorum, cum fiat à facultatibus vegetativis, non posse unquam fieri ab ulla potentia sensitiva, nec consequenter à phantasia. Nam si etiam phantasia per se spiritus & humores moveret, ejusdem effectus in corpore duæ causæ essent per se effectivæ æque immediatæ. Hoc superfluitatem argueret, quam natura abhorret. Ergo.

Sexto: Illud quod movet, debet esse in parte unde illud quod moveri debet promanat: inde enim est principium motus, ubi illud est quod movet, & quod trahitur

trah'tur ad locum ubi eſt ipſum trahens. At humores & ſpiritus promanant à corde & hepate; & ſanguis ille & ſpiritus qui in animi paſſionibus ita derepente moventur, & omnem faciunt alterationem, promanant ab hepate & corde, & à corde & hepate moventur extrorſum, & ab extra rurſum ad cor & hepar. Ergo, ſi phantaſia illos moveret, phantaſia deberet eſſe in corde vel in hepate. At ibi non eſt, ſed in capite. Ergo ipſa per ſe humores & ſpiritus non movet. Confirmatur: Quando aliquid movet à centro in omnem circumferentiam, illud quod movet non poteſt eſſe in una aliqua parte circumferentiæ, alioqui eodem actu ſimplici movendi moveret reſpectu ſui in contrarias poſitiones, à ſe & ad ſe. At in animi paſſionibus, ut ira, gaudio, ſanguis & ſpiritus moventur à centro corporis ad omnem peripheriam, & in triſtitia & metu à tota peripheria ad centrum. Ergo ipſum movens eſt in centro. In centro non eſt phantaſia. Ergo ipſa non eos movet.

Ad argumenta in principio quæſtionis contra concluſionem allata reſpondetur: per ea tantum probari, phantaſiam eſſe quidem cauſam per accidens & intentionalem motus eorum, quatenus inſtigat & excitat alias potentias intermedias ad movendum, ſed non eſſe veram cauſam per ſe & effectivam ejus. Etenim eo modo quo phan-

phantasia per suam imaginationem est causa motus spirituum & sanguinis, eodem modo etiam potentia visiva & auditiva & tactiva &c. per suas actiones sæpe sunt causa motus eorundem. Nam sicut imaginatione præcipitii, ignis, rerum tristium, &c. humores & spiritus moventur, homines tremunt, pallent, refrigerantur, &c. ita quoque visione, auditione & attactu eorundem. Atqui nec visiva, nec auditiva, nec tactiva, habent vim per se spiritus & sanguinem cordis movendi. Ergo nec imaginativa.

Conclusio XXIII. Etsi phantasia effective spiritus & humores non moveat, habet tamen aliquam vim eos vel versus unam, vel versus alteram partem magis dirigendi.

Pro quo est notandū, aliud esse movere, aliud motum dirigere; aliud facere ipsum motum seu substantiam motus, aliud modum superaddere, seu motum modificare. Multa autem sunt quæ non faciunt ipsum motum, & tamen motum modificant, seu faciunt ut illud quod ab alio movetur, moveatur ad determinatum locum. Sic canalis non movet aquam, ducit tamen & dirigit ad determinatum locum; tegula non movet pluviam, attamen dirigit; index non movet viatorem, attamen dirigit eum. Sic dico, quod, etsi facultas phantastica ipsamet non moveat spiritus, sed motrix naturalis,

ralis, phantaſia tamen per ſuam actionem poſſit motricem illam determinare ad certam verſus hanc vel illam partem, hoc vel illo modo, motionem.

Probatur concluſio. Qui imaginatur Venerem, ei coles excitatur, & ſpiritus moventur verſus genitalia, & non ad aliam partem, ſeu diriguntur ad illam partem quę eſt inſtrumentum iſtius actionis de qua eſt imaginatio. Qui imaginatur cibum aliquem lautum, ei ſaliva ad os movetur, motrice naturali ad palatum, quod inſtrumentum eſt illius actionis ſeu guſtus de quo eſt imaginatio, humorem illum dirigente. Cum cogitamus de mingendo, vel cum videmus alios mingentes aut egerentes, micturimus vel cacaturimus. Cum videmus alios comedentes, aut de cibo cogitamus, incipimus famere: quod non videtur alia ratione fieri, quam propter ſpiritus, quos natura mittit ad illas partes ab ipſa imaginatione determinata. Ideo bene dicit Jac. de Forlivio, propter obedientiam virtutum ſuperiorum & ad inferiores phantaſiam ita movere virtutes naturales, ut ipſæ aliter moveant ſanguinem & ſpiritum quam alias naturaliter moverent, ſi à phantaſia non dirigerentur. Nam ſicuti ſuperius concluſione 21. dictum eſt, ipſam phantaſiam non movere membra motu voluntario, & tamen dirigere motum eorundem; ita non eſt mirum,

rum, si etiam dicamus eam, etsi spiritus humoresque non moveat, certo tamen modo dirigere. Visum est phantasiam per se non movere: Videndum nunc

QUÆSTIO VI.

An possit alterare.

ET videtur quod sic, primo authoritate. Etenim Aristoteles lib. de motu animalium variis locis, dicit sensum, cogitationem & phantasiam alterare. Etenim dicit ibi, phantasiam esse causam motus voluntarii, per hoc, quod phantasia alterat, & alteratione spiritus & nervi dilatentur & constringantur, & sic partes moveantur. Movetur enim & incedit, inquit, animal appetitione vel selectione, alteratione tamen facta aliqua per sensum & phantasiam. Et paulo post, Calor autem aut frigus, inquit, eorum cogitationem & imaginationem necessario consequuntur. Et iterum post, Causæ autem, inquit, motionum naturales, interveniente sane fiunt alteratione: cogitatio namque & imaginatio, ut dictum est, prius agentes adducunt affectiones, nam agentium species repræsentant. Et iterum, Visum & notio rerum agendarum vim obtinent: etenim specie vel caloris vel frigoris, & rei vel jucundæ vel formidabilis mente percepta, quodammodo talis agnoscitur,

ſcitur, qualis quæque res eſt. Ita quoque Avicenna 6. naturalium part. 4. cap. 4. dicit, æſtimationem informatam objecto alterare calefaciendo & refrigerando. Et dicit materiam corporalem magis obedire ſubſtantiis ſeparatis, quam agentibus contrariis in natura: & ideo, cum anima ſit illis ſubſtantiis proxima, eam per vim imaginationis poſſe alterare, & formam in materiam inducere, non tantum propinquam, ſed & remotam. Idem videtur & D. Thomas aſſerere: etenim 3. contra gentes cap. 99. volens oſtendere, quod Deus poſſit operari præter ordinem naturæ, ſeu præter ordinem rebus inditum, producendo effectum abſque cauſis propriis, id probat ex eo, quod imaginatio hoc poſſit. Vnde, inquit, multo magis Deus hoc poterit. Nam ex hoc, inquit, quod anima imaginatur aliquid, vel vehementer afficitur ad illud, ſequitur aliquando mutatio in corpore ad ſanitatem vel ægritudinem, abſque actione principiorum corporalium, quæ ſunt nata in corpore ſanitatem aut morbum procreare. Ex quo patet eum velle, animam per potentiam imaginativam per ſe poſſe calefacere, ſine mediis ſubſtantiis corporalibus alterandi vim habentibus.

Probatur porro experientia: quia cogitatione & imaginatione rei lætæ, homines incaleſcunt, rubent, & robur acquirunt; triſtis

triſtis vero, refrigerantur, pallent, caneſcunt, moriuntur, in febrem ac peſtem incidunt: quorum nihil ſine corporis alteratione fieri poteſt.

Concluſio XXIV. Phantaſia per ſe formaliter non poteſt alterare.

Hanc concluſionem tenet D. Thomas variis locis, & eſt communis fere omnium philoſophorum. Etenim 3. contra gentes cap. 103. diſputat an anima poſſit per ſe alterare; & reſolvit, quod non; et reprehendit Avicennam contrarium aſſerentem: & ſubjungit, apprehenſionem & imaginationem alterare quidem, ſed tantum per accidens, quatenus apprehenſionē ſequuntur animi paſſiones, ab animi paſſionibus humores & ſpiritus moventur, qui præſentia ſua partes alterant. Et ideo dicit, ſolam & nudam apprehenſionem non alterare; ſed tum ſolum, quando cum animi paſſionibus eſt conjuncta: et hoc, inquit, mediante motu locali ſanguinis & ſpirituū. Idem dicit part. 3. q. 13. ar. 3 ad 3. ubi dicit illam eſſe rationem, cur imaginatio poſſit quidem agere in corpus ſecundum calorem & frigus, & non ſecundum figuram & ſimilia accidentia, quod, inquit, calefaciat & refrigeret mediantibus animi paſſionibus, & humorum & ſpirituum motu, aliter non: at mediante motu ſpirituum & humorum non poteſt, inquit, figuram permutare, quia humores

mores & ſpiritus alterare quidem poſſunt, ſed figuram non poſſunt permutare. Idem dicit quæſt. 117. part. 1. & multis aliis locis; quem Ferrarienſis, Bannes, & plerique Theologi ſcholaſtici ſequuntur. Ad locum autem in contrarium adductum reſpondet Ferrarienſis, illum non ſic eſſe intelligendum, quaſi phantaſia per ſe immediate cauſet ſani atem vel ægritudinem; ſed tantum per accidens, mediantibus animi paſſionibus, & ſpirituum & humorum motu, ſicuti in præcedentibus locis manifeſte eſt declaratum.

Probatur etiam concluſio ratione. Primo: Supra concluſione 6. & 7. oſtenſum eſt, animam per ſe directe per nullam potentiam poſſe immediate alterare, ſed ſolum modo mediante temperamento & calore nativo membrorum; & illas potentias per quas ſic alterat, eſſe ſolum potentias vegetativas. Ergo nec phantaſia per ſe immediate poteſt alterare, nec etiam mediante temperamento aut calore nativo membrorum, ut inſtrumento, cum ſit potentia cognitiva, non autem vegetativa.

Probatur ſecundo: Si phantaſia poſſet per ſimplicem ſuam operationem ſeu imaginationem directe & per ſe ac formaliter alterare, ſemper per intenſam imaginationem alteraremur: quod enim habet poteſtatem per ſe & ex natura ſua aliquid faciendi,

endi, illud ſemper facit. At per quotidianas noſtras imaginationes nulla fit in nobis alteratio. Ergo phantaſia per ſe non alterat. Tunc autem ſolum alterat, quando eam ſequuntur actiones potentiæ appetitivæ, propter quas ſpiritus & humores moventur. Ergo phantaſia per ſe & directe non alterat. Nam etiamſi quis toto die imaginetur ſe eſſe calidum, aut velit eſſe calidus, non ideo calefiet; aut imaginetur ſe eſſe frigidum, non ideo frigefiet: æthiops imaginando albedinem per integros annos, non ideo albeſcet: fœtore anhelitus laborans, imaginando perpetuo odoris bonitatem, non ideo ſibi faciet anhelitum odoratum: nec quiſpiam ſimplici ſua imaginatione per ſe ullam aut primarum aut ſecundarum qualitatum ſeu in corpus proprium, ſeu in contenta ejuſdem, humores ſcilicet ſpirituſque inducet.

Tertio: Si phantaſia per ſe alteraret, vel poſſet producere omnes qualitates primas, vel unam aut plures earum. Non omnes, quia ſunt contrariæ; una autem aut eadem ſimplex cauſa non poteſt per ſe producere effectus contrarios, niſi forte ratione ſubjecti aliter atque aliter diſpoſiti. Non unam, quia, cur magis produceret unam quam aliam, cum phantaſia videatur ad omnes eſſe indifferens? tam enim videtur imaginatio calidi poſſe facere calorem,

quam imaginatio frigidi, frigus. Ergo.

Quarto: Si phantasia, visus, auditus, per suam nudam actionem directe & immediate producerent aliquam realem alterationem, deberent semper producere eandem: etenim per eandem specie actionem non potest produci nisi unus & idem specie effectus, quantum, scilicet, est ex parte agentis (ut dictum est.) At per visionem, imaginationem, &c. modo sequitur in corpore calor, modo frigus, modo rubor, modo pallor, qui sunt effectus contrarii: nam cum imaginor tristia, fit frigus, cum imaginor læta, fit calor; cum video hostem, fit frigus, cum video amicum, fit calor: & tamen imaginatio læti & imaginatio tristis, & visio amici & visio hostis sunt eædem actiones solo numero, non autem specie, differentes; est enim utriusque actionis objectum formale idem. Ergo illæ alterationes per illas actiones per se non causantur. Amplius, visio, imaginatio, &c. ejusdem objecti inducunt contrarios effectus, ergo non per se; nam una causa non potest per se inducere contrarios effectus. Antecedens probatur: Nam aliquando visio ignis inducit calorem, aliquando inducit frigus; vi o aquæ aliquando induci calorem, aliquando inducit frigus; & sic eodem modo imaginatio. Sic qui per Alpes profecti frigore rigescunt, viso igne exhilarantur & incalescunt:

cunt: qui vero propter scelera ad ignem sunt condemnati, aut cauteriis sunt urendi, viso igne pallescunt, refrigerantur & contremiscunt. Qui per deserta Libyæ ambulantes, siti fere extincti sunt, subito aquæ conspectu rubebunt & incalescent: qui vero ad submersionem sunt condemnati, visa aqua refrigerabuntur, pallebunt & perhorrescent.

Quinto: Si imaginatio, visus, auditus, per se aliquam realem causarent alterationem, omnes illæ non causarent eandem, sed diversam. Probatur: Nam talis alteratio seu talis realis actio non contingeret alio modo, quam per hoc, quod talem cognitionem seu talem actionem ex connexione quadam & sequela naturali talis alteratio vel actio realis comitaretur. Ergo diversam cognitionem, seu diversam speciem cognitionis deberet diversa alteratio sequi. Sed ita non sequitur: nam illæ tres cognitiones, visio, auditio, & imaginatio, sunt cognitiones specie diversæ; & tamen eas omnes sæpe sequitur eadem alteratio. Ergo. Subsumptum probatur. Nam & visio ignis in eo qui est comburendus, & auditio ignis crepitantis, & imaginatio ejusdem, faciunt similem frigiditatem, pallorem, &c. & visio aquæ, & auditio murmurantis, & imaginatio ejusdem, in eo qui pene siti est extinctus faciunt calorem & ruborem. Ergo illa

alte-

alteratio ab illis actionibus per se non causatur.

Sexto: Si imaginatio, visio, &c. essent alicujus realis qualitatis productivæ, essent certe illius qua formaliter præditum est, vel quam efficere natum est illud objectum quod percipiunt: et sic visio & imaginatio ignis deberent producere calorem, & visio & imaginatio aquæ deberent producere frigus. At visio & imaginatio aquæ aliquando sunt causa caloris, ut in moriente siti; & visio ignis est aliquando causa frigoris, ut in brevi per justitiam comburendo. Ergo.

Septimo: Si visio per se aliquam realem qualitatē producere posset, maxime deberet posse producere illam quam percipit; nam à specie illius informatur, & per illam determinatur ad eam, & acquirit similitudinem cum ea: nam quam aliam posset producere? Etenim cum variæ sint in objectis qualitates, quam connexionem habet visus cum illis? aut quam similitudinem magis habet cum una quam cum altera, ut magis unam quam alteram producere possit? At accidentia quæ percipit visus, sunt color, lumen, figura, motus, numerus, magnitudo. Ergo illas, & nullam aliam producere deberet. Vnde cum visus videt ignem, aquam, leonem, auditus audit tormenta bellica contra urbem emissa; non debe-

deberent calorē aut frigus cauſare, quia illa ab auditu & viſu nō percipiūtur: ſed flavedinem, perſpicuitatem, ſonū, figuram, motum, &c. Sed nullam illarum cauſant; quia propter nullam viſionem ſentimus in nobis colorem, figuram, magnitudinem partium, &c. mutari. Ergo nec viſus nec auditus ullam earum per ſe producunt. Cum ergo poſt viſionem rerum aliquarum in corporibus noſtris tamen fiat alteratio, non aliter quam ſicut poſt imaginationem fieri ſolet; manifeſtum eſt, quod ſicut viſio illam per ſe non cauſat, ita nec imaginatio cauſet.

Ad argumenta reſpondetur. Ad authoritatem Ariſtotelis dico; eum in illo libro variis locis docere, propter imaginationem corpus alterari; quod & nos non negamus, & infra docebimus: ſed non dicere, ipſam phantaſiam per ſuam imaginationem illud per ſe & immediate alterare, de quo hic eſt quæſtio; ſed ſatis indicare, eam hoc facere per accidens, mediantibus animi paſſionibus, & humorum & ſpirituum motu. Sicut enim phantaſiam, ita & viſionem dicit alterare: at certum eſt Ariſtotelem non velle ipſam viſionem per ſe alterare, ſed tantum per accidens, mediante motu, qui fit in corde: quare etiam cenſendum eſt, eum non velle imaginationem per ſe, ſed ſolummodo per accidens alterare. Et quod hoc velit,

lit, colligi poteſt. Nam cum dixiſſet, quod calor & frigus neceſſario rerum externarum notionem & viſum conſectentur, ſubjungit ejus rationem, quia, inquit, res triſtifica evitari, jucunda affectari ſolet. Quaſi diceret, hoc fieri, quia ſpecies rerum perceptæ, & viſio & imaginatio earum excitant animi paſſiones, triſtitiam, gaudium, &c. quibus fit, ut ad fugiendum ſanguis & ſpiritus introrſũ revocentur, vel ad amplectendum, extrorſum ferantur; ex quo frigus calorque eveniunt. Ad authoritatem Avicennæ dico; eam non eſſe curandam, eo quod ipſe in imaginationis viribus extollendis nimis ſit effuſus & ſuperſtitioſus. Ad D. Thomam dico; eum ibi non velle ſupponere, phantaſiam per ſe alterare, aut ſanitatem & morbum facere; quia ex locis jam allatis ſatis manifeſtum eſt, cum velle, quod ſolum alteret per accidens, mediante humorum & ſpirituum motu: ſed hoc ſolum; quod, ſicuti homo poteſt aliquando facere ea quæ ſunt præter ordinem naturæ, & aliquando ſine medicamentis ſanare ſeipſum per ſuam imaginationem, per quam ordinarie ſanatio fieri non ſolet, ſed tantum per medicamenta ad hoc à natura inſtituta; ita multo magis Deus aliqua facere poſſit præter ordinem naturæ. Ex quo patet eum ibi non dicere, quod homo aliquando ſanet ſeipſum per ſuam imaginationem, ſeipſum

sum directe & immediate alterando; sed solum, quod sanet seipsum sine applicatione medicamentorum externorum, per solam suam imaginationem: nihil proponens aut curans, an id imaginatio faciat immediate & per se alterando, an vero per accidens, mediante humorum & spirituū motu.

Ad argumentum ab experientia desumptum respondeo: certum esse, homines per sensum & imaginationem alterari, & in febres ac alios ex intemperie morbos incidere posse: sed nego quod per se & directe; sed solum per accidens & indirecte, mediantibus operationibus aliarum potentiarum, seu humorum & spirituum motu, ut jam sæpius dictum est. Verum dicet aliquis, verum quidem esse, ipsam potentiam imaginativam, cum sit passiva, & non activa ullius alterius actionis quam suæ imaginationis, & ejus actio seu imaginatio sit immanens, nec transeat in aliquod passum, forte nihil alterare; sed ipsas rerum species intentionales, quæ in potentia recipiuntur, esse activas, & habere vim alterandi; eas autem à cerebro per nervos membris communicari, & ad quæ pervenerint, ea alterare: & ideo cum species sint in potentia, & eam informent, & sic constituant unum cum ea, merito dici phantasiam alterare, & totam illam alterationem facere, quam faciunt species ejus. Propter hoc autem est videndum

An ipſa ſpecies phantaſtica poſſit alterare.

Et videtur quidem quod ſic: primum authoritate. Etenim Ariſtoteles, libro de communi animalium motione, dicit in hæc verba: Viſa, inquit, ſenſus & conſignatæ in animo notiones commovent: & ſubdit, Viſum & notio rerum agendarum vim obtinent. Etenim ſpecies vel caloris, vel frigoris, vel rei jucundæ, vel formidabilis, mente percepta, quodammodo talis agnoſcitur qualis res unaquæque eſt; idcirco notione ſolum affecti, tum horrore, tum mente perculſi videmur. Avicenna lib. de anima part. 4. cap. 4. dicit, vim æſtimantem informatam objecto alterare, calefaciendo vel refrigerando. Gentilis de Fulgineo, reddens cauſam cur, cum videmus alios acida & acerba comedentes, dentium dolore afficiamur, dicit id ex eo eſſe, quod ſpecies acetoſi veniens ad imaginationem, habeat virtutem acetoſitatis; unde ſimili modo afficit ac ipſa acetoſitas: ſpecies enim rerum, inquit, ſunt plurimum ſecundum ſe deferentes virtutem rerum; quia ſpecies, inquit, calidi virtutem habet ut calefaciat, & ſpecies frigidi virtutem habet ut infrigidet. Hoc etiam tenuerunt Marſilius Ficinus lib. 13. de animi immortalitate cap. 1. Tartaretus 2. de anima artic. penultimo, Citadinus lib. 3. comm. in artem parvam cap. 15.

Iaco-

Jacobus de Forolivio 3. Techues quæſt. 11. concluſione 4. Concil. differ. 135. Thomas à Vega ad cap. 49. artis parvæ, Valeſius lib. de ſacra Philoſoph. cap. 11. Conimb. libr. de generat. & corrupt. cap. 9. quæſtione 1. art. 2.

Probatur ſecundo ratione. Scribit D. Thomas opuſculo 3. c. 177. & opuſculo 10. cap. 26. & in 4. diſtinct. 44. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula 2. & aliis locis, corpora damnatorum uri, non reali actione & calore, ſed intentionali. Ergo ſpecies ſunt activæ, & habent vim rerum.

Tertio: Marſilius Ficinus lib. de generat. & corrupt. quæſt. 18. Venetus lib. 1. Meteor. Forolivienſis quæſt. 1. in aphor. 15. ſect. 1. dicunt auctionem caloris in antiperiſtaſi fieri propter ſpecierum caloris repercuſſionem, quatenus ſpecies repercuſſæ augent & fortificant qualitatem realem. Ergo ſpecies habent vim alterandi.

Quarto: Species ſunt quædam accidentia, & quædam formæ ſeu actus; informant enim & actuant potentiam & organum. At de ratione formarum eſt, poſſe agere. Ergo ſpecies ſunt activæ. Confirmatur: Species ſunt ejuſdem rationis & naturæ ſpecificæ cum ſuis objectis, & ſpecies caloris eſt calor, ſed in eſſe remiſſo: & ſic non differunt ſpecies à ſuis objectis ſeu accidentibus realibus, niſi ſecundum magis & minus. Atqui

calor poteſt agere : Ergo & ſpecies ejus. Sequela probatur. Nam ſi ſunt ejuſdem naturæ ſpecificæ, ſicut agit una, ita poterit & alia agere; nam agere ſequitur eſſe; & ideo quæ non differunt in eſſe, etiã nõ differunt in agere : ſolum videtur illa poſſe eſſe differentia, quod, ſicuti ſpecies eſt calor modo quodam ignobiliore & minoris entitatis quam ille; ita quoque modo ignobiliore & remiſſius agat. Nunc autem videtur eſſe poſſe, quod etſi ſpecies ex natura propria debilius agat, quam ſua qualitas realis à qua defluit, & ſic in virtute propria non poſſit realem qualitatem producere; tamen in virtute animæ poſſit ſic operari, ut realem qualitatem producat. Ergo videtur quod ſpecies intentionalis in phantaſia exiſtens poſſit aliquam realem qualitatem producere.

Quinto: Porro quod de facto aliquando producat, hinc videtur apparere. Etenim nonnulli, quales ſe noviſſe ſcribunt Guilielmus Pariſienſis & Nicolaus Florentinus, ſola cogitatione & aſpectu pharmaci ita alvo moventur, ac ſi medicamentum hauſiſſent : hoc non videtur fieri alia ratione, niſi quatenus ſpecies pharmaci cogitatione percepta vim habet pharmaci, & movet ſicut ipſum pharmacum. Ergo. Qui frigiditatem glaciei imaginantur, aliquando horrent : hoc non videtur alia ratione fieri, niſi qua-

quatenus ſpecies frigoris imaginatione concepta producit in corpore verũ frigus, quod ſit cauſa horroris. Qui vident alios acerba comedentes, ipſimet ſtupore dentium afficiuntur: quod non videtur fieri alia ratione, quam quia ex illa ſpecie producitur in ore ipſemet ſapor acerbus, qui ſtuporem dentium facit. Imaginantes fœtida nauſeant: quod non alia ratione fieri videtur, niſi quia inde odor fœtidus in ſtomacho generatur, qui illum ſubvertat. Aliqui imaginantes dolorem in aliqua parte corporis, dolorẽ contrahunt: quod etiam fieri videtur, quatenus imaginatio doloris producit veram cauſam doloris. Ergo.

Sexto: Species albedinis in oculo recepta diſgregat viſum, lumen intenſum oculos lædit, & unaquæque ſpecies modum excedens poteſt dolorem in proprio ſenſu cauſare. Ergo ſpecies ſunt activæ. Sit

Concluſio XXV. *Species phantaſtica non* eſt productiva realis qualitatis, nec poteſt formaliter alterare.

Hæc concluſio probatur authoritate Ariſtotelis, 2. animæ cap. 5. text. 59. ubi dicit actionem intentionalem eſſe perfectivam, non autem corruptivam. Probatur etiam authoritate Themiſtii lib. 2. animæ cap. 42. & Alexandri Aphrodiſei, & præcipue D. Thomæ 1. part. quæſt. 67. art. 3. & 2. ſentent. diſt. 13. art. 3. ubi dicit, ſpecies non poſſe naturalem tranſmutationem cauſare. Quod

idem dicunt Scaliger exerc 75. sect. 2. Franciscus Picolomineus in physicis, lib. de facultate motiva cap. 22. Christophorus à Vega lib. 2. artis medic. sect. 6. Codronchus libello de morbis veneficis, Vayrus de fascino, aliique.

Probatur secundo ratione. Actus & finis speciei est repræsentare: nam species est ordinata ad hoc, ut fiat cognitio; ut scilicet ipsa perveniens ad sensum, ad quem non potest pervenire ipsum objectum, illud etsi remotum repræsentet: quapropter ejus esse & formalis ratio consistit in repræsentare. Atagere sequitur esse. Ergo sicut ejus esse est repræsentativum, ita ejus actio formaliter non potest esse alia quam repræsentatio. Ergo species non est effectiva, nec ejus actio est alicujus rei effectio, sed tantum repræsentatio.

Probatur sequela: quia differunt repræsentare & efficere. Etenim imago quæ rem aliquam repræsentat, dat eam cognoscendam, sed illam non efficit. Species nihil est aliud quam imago rei. Ergo eam tantum dat cognoscendam per repræsentationem, & non efficit eam: repræsentare enim intrinsece excludit efficere. Nam quando aliqua res per species repręsentatur, si tum efficeretur, vere non repræsentaretur, sed repræsentaret seipsam, & esset ibi ubi repræsentatur: at repræsentatio per speciem dicit intrinsece absentiam illius quod repræsentatur. Ergo quod repræsenta-

tur,

tur, non efficitur, & quod repræsentat, non efficit. Ergo.

Tertio: Quod est perfectivum, non potest esse corruptivum. Species sunt perfectivæ, & institutæ ad potentiam & organum perficiendum. Ergo non possunt esse corruptivæ. At si species possent agere actione reali, essent corruptivæ. Ergo sic non agunt. Minor probatur: quia alteratio realis est alteratio corruptiva, & est via ad corruptionem. Confirmatur: Si species ageret realiter, maxime ageret in organum. At si sic ageret in organū, corrumperet ipsum, quia ipsum imbueret reali qualitate, per quam fieret ineptum ad cognoscendas qualitates externas; quia, ut inquit Philosophus, organum debet esse denudatum ab objecto, ne intus exsistens impediat externum. Ergo, non agit realiter.

Quarto: Si species alterarent & producerent aliquam realem qualitatem, agerent ultra suam perfectionem: hoc fieri non potest: ergo. Major probatur: quia species sunt tantum qualitates intentionales; intentionales autem qualitates longe sunt ignobiliores realibus. Hoc tenent communiter omnes philosophi; et probatur: Omnia accidentia quæ possunt se multiplicare realiter, possunt se etiam multiplicare intentionaliter, sed non contra; imo qualitates quæ minime sunt activæ, & non possunt se multiplicare realiter, ut qualitates secundæ, color, sapor, quantitas,

figura, adhuc tamen poſſunt ſeſe multiplicare intentionaliter. Ergo qualitates intentionales minus ſunt quam reales. Deinde, ſpecies pendent in eſſe à qualitatibus realibus; & abſentibus objectis ſeu realibus qualitatibus, pereunt & evaneſcunt: Ergo. Denique, ſpecies ſunt tantum imago: imago autem minus eſt eo cujus eſt imago: Ergo. Verum dicet aliquis, etſi ſpecies ſint minoris entitatis & efficaciæ quam reales qualitates, & ſic per ſe & virtute propria non poſſint producere eas; tamen in virtute animæ poſſunt: & ſic ſpecies quæ extra animam & in medio ſunt, non poſſunt producere qualitatem realem; in anima vero & organo exſiſtentes, in virtute animæ & potentiæ imaginativæ poſſunt. Sed non valet: quia imprimis potentia imaginativa, in quam ſpecies recipiuntur, non eſt activa, nec ordinata ad alterandum, ſed tantum ad cognoſcendum; & ſic non poteſt ſpeciebus impertiri & influere virtutem majorem ad alterandum, & reales qualitates producendum, quam ipſæ ex ſe habeant. Secundo, quia etiam ipſæ ſpecies non ſunt à natura inſtituræ ad agendum & alterandum, ſed tantum ad repræſentandum, & ſic non habent ordinem ad alterationem; & ideo non poſſunt ab anima attolli ad alterandum, ſeu ad effectum talem producendum, ad quem ex natura ſua non habent ordinem. Etenim cauſa aliqua nobilior poteſt inſtrumentum ignobilius

bilius attollere ad effectum producendum ſupra virtutem propriam, modo illud inſtrumentum habeat ordinem ad illum effectum, & effectus ille ſit ſecundum naturam ipſius; ſed ſi effectus ſit præter naturam ejus, & inſtrumentum non habeat ordinem ad illum, tunc quantumcunque ſit excellens cauſa principalis, nunquam poteſt illud ad illum effectum attollere. Sic anima poteſt calorem nativum attollere ad hoc, ut carnem & ſpiritus generet, quos in virtute propria producere non poſſet: ſed non poteſt illum ſic attollere, ut refrigerandi vim acquirat. Artifex poteſt operationem ſerræ ita attollere, ut ſtatuam faciat: non autem, ut unquam dealbet, calefaciat, refrigeret, &c. Eodem modo anima bene poteſt attollere ſpeciem phantaſticam ad nobiliorem effectum quam ante habebat in ratione repræſentandi, quia facit ut poſſit movere intellectum, quod ante receptionem in phantaſia non poterat: ſed nulla ratione poteſt attollere in ratione alterandi; eo quod illa ſit extranea ejus eſſendi modo, & ordini quem à natura habet. Ex quo etiam ſequitur, quod ſi ſpecies haberent vim realiter alterandi, ſpecies quæ ſunt in aëre etiam deberent res inanimatas alterare. At non alterant: nam ſpeculum à ſpeciebus coloris non fit coloratum, nec aër, nec quicquam in quod ſpecies incidunt; ſpecies figuræ, quantitatis, motus, in nulla re inanimata ullam faciunt figuræ,

quantitatis, motus permutationem. Ergo. Accedit, quod si species possent producere realem qualitatem, haberent modum agendi nobiliorem quam habent ipsæ qualitates reales. Etenim qualitates reales alterant solummodo ut causæ univocæ; at species intentionales alterarent eminenter, & ut causæ æquivocæ, sicut alterant cœlestia corpora: causæ autem æquivocæ sunt nobiliores univocis. At est præter rationem, ut illa quæ minoris sunt entitatis, prædita sint agendi modo nobiliore: modus enim agendi sequitur modum essendi, & quæ nobiliore modo sunt, ea quoque modo excellentiore operantur. Ergo species non possunt producere realem qualitatẽ.

Quinto: Si species possent producere realem qualitatem, non possent producere aliam quam illam à qua derivantur, & cujus sunt species. Etenim ei solum similes sunt, quia eam solũ repræsentant, ab illa sunt productæ, & abilla habent omne suum esse, & à nulla alia; & consequenter ad illam determinantur. Atqui species plurimæ non possunt illam producere. Ergo. Minor probatur: Nam species coloris non potest producere colorem realem; species saporis non potest producere saporem; species figuræ, quantitatis, numeri, &c. non possunt producere figuram, quantitatem, numerum. Etenim ipsæmet illæ qualitates & accidentia à quibus illæ species promanant, non possunt sibi similia producere.

Ergo

Ergo multo minus ſpecies, quæ ſunt tantum imago eorum, & effluxus tenuiſſimæ entitatis. Si illæ ſpecies non ſunt productivæ realium qualitatum ſibi ſimilium, ergo nec aliæ: quia ſpecies omnes in eſſe ſpeciei ſunt ſimiles; quare etiam debent eſſe ſimiles in modo agendi. Nam cum ſpecies primarum qualitatum ſint ſpecies objectorum tactus, ſpecies aliæ ſint ſpecies ſenſibilium aliorum ſenſuum; ſi ſpecies, ut ſpecies, eſſent alterativæ, tam bene ſpecies aliorum ſenſuum eſſent alterativæ, quam tactus. Nam cur non tam bene ſpecies viſus poſſet alterare, quam tactus; cum ſpecies viſibiles ſint longe activiores actione intentionali, quam ſpecies tangibiles, & virtus viſiva multo acutior quam tactiva? etenim viſibiles ſpecies ab uſque cœlo, & multis millibus milliarium, & in momento, viſum tangunt, tangibiles non niſi è propinquo, & in tempore. Si autem actione intentionali ſint activiores, cur non conſequenter etiam eſſent activiores actione reali?

Sexto: Si ſpecies per ſe producerent realem qualitatem, ſpecies caloris deberent producere aliam qualitatem quam ſpecies frigoris, & ſpecies ejuſdem qualitatis deberent ſemper eandem producere qualitatem. At hoc non fit: quia ſæpe videre eſt ex contrariorum objectorum perceptione eandem in nobis alterationem contingere; & è contra, ex eorundem objectorum perceptione ſæpe produci

in nobis qualitates contrarias. Ergo ſpecies illam alterationem & illas qualitates effective & formaliter non producunt, ſed ab alia cauſa producuntur. Sic cum duo ſunt morti adjudicati, unus qui comburi, alter qui ſubmergi debet, vel in glacie ſepeliri quouſque frigore moriatur; unus habebit ſpeciem caloris & ignis in phantaſia, & alter ſpeciem aquę & frigiditatis: & tamen ab utraque ſpecie uterque refrigerabitur, excitato ſcilicet timore. Sic iterum, unus & idem homo cum valde friget, imaginando ignem à quo vult calefieri, & alias cum valde calebit, imaginando aquam in qua deſiderat natare, ab utriuſque objecti ſpeciebus calefiet, gaudio in animo excitato; & idem erit utriuſque effectus, cum tamen ipſæ ſint contrariæ, & à contrariis objectis derivatæ, & proinde contrarias agendi virtutes habere debeant.

Septimo: Si ſpecies haberent actionem realem, ſemper cerebrum & totum corpus infinitis modis alterarent, maxime, cum ipſæ toties ſine intermiſſione in organum recipiantur. Atqui experientia docet non alterare; nam quantumcumque diu circa aliquam rem imaginemur, quantumcunque diu circa naturam ignis, circa naturas primarum qualitatū philoſophice ſpeculando verſemur, non propterea ullam imaginatæ ſpecies in nobis temperamenti corporis faciunt permutationem. Nam ſive ego hodie ſtudeam intenſiſſime de

natura

natura ignis, cras de natura aquæ & glaciei; non ideo uno die magis calidus, altero magis frigidus fio, sed semper in eodem statu, & tam calidus uno quam altero die permaneo. Etiamsi oculus decem diebus adspiceret murum flavum aut nigrum, non ideo flavior aut nigrior fieret; aut auris decem diebus sonorum reciperet species, non ideo illæ sonum ullum in aure generarent. Nec valet dicere, non omnes species id posse, sed certas tantum, valde scilicet intensas, subito, & in imaginativam fortissimam, & in corpus tenerum, & in animam excellentiorem ac à terrenis fæcibus magis remotam, & sub felici siderum constellatione creatam, receptas: quia vel species habent illam vim ex natura sua, in quantū species, vel aliunde. Si ex natura sua, ergo omnes species habere deberent: & sic, etsi aliquæ species intensiores, cum actu imaginandi fortiore conjunctæ, & certo modo & corpore receptæ, aliquando alterationem facerent majorem; tamen reliquæ omnes necessario etiam aliquam, etsi minorem, facere deberent: quam nullus tamen experitur. Quia virtus quæ per se alicui accidenti aut corpori inest, illa debet omnibus necessario inesse; etsi uni plus, alteri minus insit. Non aliunde: nam unde haberent? Non à phantasia, aut potentiis cognoscitivis: quia illæ (ut dixi) non habent ordinem ad alterandum; & quia viri prudentissimi & doctissimi, qui & intelle-

intellectum & phantaſiam excellentiſſimam habent, & ſpecies fortiſſimas, nullam tamen ſentiunt in imaginando alterationem. Non ab objecto: quia objecta ſunt eadem, & tamen in uno homine continget alteratio, in altero non. Ergo.

Octavo: Si ſpecies calidi poſſet calefacere, ſpecies calidi ageret in realem frigiditatem, illam ex ſuo ſubjecto expellendo; aliter enim calefacere non poſſet: at quæ in ſe mutuo agunt, debent ſibi mutuo contrariari. ſpecies calidi non contrariatur frigiditati reali, nec ſpecies frigidi caliditati reali: nam in eodem ſubjecto recipiuntur; ſpecies enim ignis recipitur in parte refrigerata, & ſpecies calidi recipitur in cerebro, & in membris quæ ſunt calida. Ergo in ſe mutuo non agunt.

Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur. Ad authoritatem Ariſtotelis dico, non eſſe Ariſtotelem ſic intelligendum, quaſi ipſe velit ſpecies imaginatione perceptas formaliter & effective alterare: quia (ut ſupra oſtendimus) ipſe 2. animæ cap. 5. diſtinguit alterationes, & dicit, non ſic alterari ſenſum & organum ab objectis, ſicut aliæ potentiæ alterantur à ſuis agentibus, per actionem ſcilicet realem & corruptivam; ſed alio modo, per actionem ſcilicet intentionalem & perfectivam. Et ita non vult dicere Ariſtoteles, ſpeciem rei ita realiter alterare, ſicut ipſa res alterare poteſt; ſeu ſpeciem ignis ita realiter calefacere,

cere, ſicuti poteſt calefacere ignis ipſe: ſed hoc ſolum; ſpeciem rei ſola imaginatione revolutam ita movere & excitare appetitum, & determinare in ordine ad perſecutionem vel fugam, ſicut ipſamet res præſens excitaret & determinaret. Et ſic vult dicere; quod ſicuti homines terrentur, & timent, & alterantur ſæpe ab ipſis objectis, verbi gratia, ſicut videndo inimicum aut leonem, &c. horrent, tremunt & refrigerantur: ita quoque ab ipſis ſolis ſpeciebus inimici aut leonis in imaginatione agitatis aliquando terreantur, tremant & refrigerentur, etiamſi nullus inimicus aut leo adſint, non aliter ac ſi adeſſent. Et ſic dicit ibi, ſpecies rerum habere rerum virtutes, non in ratione realiter alterandi, ſed in ratione movendi appetitum, & animi paſſiones excitandi; quas poſtea corporis alterationes conſequuntur.

Ad argumentum ex D. Thoma deſumtum reſpondeo: controverſiam eſſe inter ſcholaſticos, quomodo ignis infernalis urat damnatos; an per ſpecies, an per ſuam realem qualitatem. Tamen, ut ita eſſet, quod per ſpecies ageret, hoc nihil argueret contra noſtram poſitionem: quia tunc illæ ſpecies non operarentur naturaliter, ſed ſupernaturaliter, peculiari Dei virtute ſic vigoratę, ut realem qualitatem producere poſſint; quod in actionibus naturalibus locum non habet.

Ad tertium reſpondeo: Antiperiſtaſin non fieri

fieri per ſpecies caloris reflexas, ſed alia ratione : de qua Conimbricenſes lib. 1. de generat. & corrupt. c. 9. quæſt. 1. art. 1. Valeſ. lib. 1 contr. c. 5. Thom. à Vega artis partæ cap. 29.

Ad quartum reſpondeo : ſpecies non eſſe ejuſdem rationis & eſſentiæ ſpecificę cum ſuis objectis. Etenim albedo & nigredo non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto ; ſpecies vero earundem poſſunt : ergo inter ſe natura ſpecifica differunt, quia una habet contrarium, altera non. Imo ſæpe non tantum ſpecie, ſed & genere differunt. Nam ſpecies canis in intellectu non eſt eſſentialiter canis : quia ſpecies canis eſt accidens, canis vero eſt ſubſtantia. Itaque in natura entitatis differunt ſpecies & objectum : ſed in ratione eſſe repræſentativi non tantum ſunt idem genere & ſpecie, ſed etiam numero, inquit Zabarella. Quapropter cum in natura entitatis differant qualitas & ſpecies ejus, & ab illo eſſe entitativo pendeat agere, non eſt mirum etiam differre actione. Et ideo, etſi qualitas realis aliam realem producat, non ideo ſequitur, quod ipſa ſpecies eam etiam producere poſſit. Itaque ſpecies eſt ipſa qualitas repræſentative : & ſicuti eſt qualitas repræſentative, ita in ſenſum & organum imprimit eandem qualitatem intentionaliter ſeu cognoſcibiliter. Id eſt, ſpecies (verbi gratia) caloris, rubedinis, &c. ſic agit in organum, non ut ipſum organum fiat calidum

dum aut rubrum realiter, ſed ut fiat calidum & rubrum cognoſcibiliter: ſic quod per eam calorem & rubedinem, & alias qualitates tam perfecte cognoſcat, ac ſi ipſas realiter in ſe haberet. Et hoc eſt quod dicit Ariſtoteles 3. animæ cap. 5. quod ſcientia quæ eſt actu eſt idē quod res: non quod anima aut organum fiat ipſum objectum realiter, ſed intentionaliter.

Ad quintum reſpondetur: illos effectus non contingere per hoc, quod ſpecies ſenſibus aut imaginatione perceptæ reales in corpore producant qualitates, aut earum edant effectum: ſed per hoc, quod propter ſenſationes aut imaginationes rerum aliquarum, ſympathia quadam potentiæ vegetativę ſeu naturales ad opus excitentur; ex quo contingit humores & excrementa moveri, & varios in corpore effectus & alterationes provenire. Sic qui ſentiunt fœtidum odorem, nauſeant & vomunt; qui audiunt ſerræ ſtridorem, rigent; qui vident caſeum vel aliquid à quo abhorrent, toto corpore afficiuntur, ſæpe non alia quam ejuſmodi potentiarum & partiū ſympathiæ cauſa. Neque ſolum qui res ipſas ſenſu percipiunt, ita alterantur; ſed & illi qui tantummodo imaginantur. Nam, ut inquit Ariſtoteles lib. de com. animal. motione, ſpecies habent rerum virtutes, & ſæpe adeo corpus alteratur ſola ſpeciei in phātaſia exiſtentis, ac objecti realiter præſentis perceptione. Quod ergo ſolum fœtorem imaginantes aliqui

qui nauſeent, aliqui ſola cogitatione, vel longinqua pharmaci viſione, moveantur & purgentur; non contingit, quod ſpecies fœtoris imaginatione percepta producat verum fœtorem; aut ſpecies pharmaci purgantis producat in inteſtinis vim purgatoriã: ſed quod à tali imaginatione, ſympathia quadam facultatum, motrix naturalis membris inexſiſtens in opus excitetur, unde humores agitantur, & agitati naturam irritantes expelluntur; præcipue cum in corpore abundant, & ad expulſionem ſunt parati. Eodem modo quo videmus quotidie ex ſolis animi paſſionibus, ut ſubito timore, homines ad mingendum & alvi excrementa egerenda provocari. Qui audiunt aliquem in aquam congelatam incidiſſe, & imaginatione frigiditatis horrent, non horrent quod ſpecies illa frigiditatis animo percepta reale frigus producat, aut per ſe effectum veri frigoris edat; ſed contingit ex eo, quod moto appetitu motrix naturalis excitetur, quæ humores & ſpiritus per membra corporis ſentientia vibrat: qualis horror non tantum glaciem, ſed & ignem & combuſtionem; & alias res horrendas imaginantibus contingit. Quod indicium eſt, eum non ſic à ſpecie frigoris, ſed modo jam dicto cauſari: alioqui, à ſpecie caloris eadem ratione cauſari non poſſet. Quod illi qui vident alios res acerbas comedentes, ipſi eundem acerbum ſaporem in ore percipiant, & imaginantes dolorem aliquando

quando ipsum dolorem sentiant; non fit ex eo, quod species ille saporis & doloris imaginati realem saporem aut dolorem inducant; sed contingit ex deceptione facultatum sentientium, quæ ab ipsa phantasia inducitur, per quam putamus videre quod non videmus, audire quod non audimus, & tangere quod non tangimus: ut in melancholicis frequentissime contingit. Vt in illo, de quo scribit Horatius: qui *haud ignobilis Argis, credebat scenicos spectare tragœdos, In vacuo solus plausor sessorque theatro.*

Ad sextum respondeo: species sensibiles afficere non solum potentiam, sed etiam ipsum organum, qua est organum. Et ideo, quando species sunt potentiæ & organo proportionatæ, potentiam & organum perficiunt, & in eo pariunt quandam delectationem; & quando sunt improportionatæ, pariunt quendam dolorem. Sed sicut perfectio illa est intentionalis, & sicut illa voluptas causatur à speciebus actione intentionali; ita etiam destructio est intentionalis, & dolor fit actione intentionali. Et ideo talis destructio & dolor contingunt etiam in intellectu, qui est spiritualis, & in quem non cadit actio ulla realium qualitatū.

Ad hoc quod dicunt, species albi & luminis dissipare spiritus, quæ est actio quædam realis, nempe motus localis spirituum, respondeo, primo; non esse mirum, cum lumen sit qualitas realis. Secundo; illas non vere dissipare

ſipare ſpiritus, ſic quod per ſe moveant ſpiritus localiter: ſed hoc eſſe ſic intelligendum, quod illæ ſpecies non uniantur taliter in ſpiritibus & humoribus oculi, ſicut uniuntur ſpecies aliorum colorum; ſed per ſubſtantias illas perſpicuas oculorum, propter conſenſum albi & luminis cum perſpicuo, magis aliis diffundantur. Et ſic non ſpiritus, ſed potius ipſæ ſpecies diſſipantur.

QUÆSTIO VII.

An phantaſia poſſit vim ullam acquirere ab influxu cœlorum.

ETenim nonnulli id dicere non ſunt veriti. Enimvero Avicenna 4. 6. naturalium c. 4. dicit animas, in illo tempore quo creantur, acquirere virtutem & influxum ab illis ſideribus ſub quorum conſtellatione creantur. Si anima aliqua creetur ſub fortunato aſpectu Iovis, recipiet virtutem Iovis, ſic quod poterit operari & agere eo modo quo ſidus Iovis; ſi ſub aſpectu Martis, virtutem Martis; & ſic de aliis ſideribus ſub quorum felici conſtellatione fuerit generata. Hunc ſecuti ſunt multi alii vani & ſuperſtitioſi homines, qui ſpurcitiem ſuarum falſitatum pallio virtutum cœleſtium tegere ſunt conati; ut Paracelſus, & alii.

Et videtur equidem ita fieri poſſe. Etenim cœleſtia corpora agunt in ſublunaria, & mundus

mundus inferior regitur à supernis lationibus, ut est Philosophi 1. Meteor. cap. 2. & multæ sunt in rebus sublunaribus virtutes, quæ à nullo alio principio quam influentiis cœlorum videntur pendere. Ergo etiam cœli in animam & in phantasiam hominis influere possunt.

Probatur secundo: Cœli influunt in dæmones; etenim dæmones certis cœli constellationibus & lunæ quadris magis operantur & corpora cruciant obsessorum: hoc non videtur alia ratione fieri, nisi quia illis cœli mutationibus ipsi mutantur & afficiuntur. Ergo & anima à cœlis affici, & consequenter influxum eorum suscipere, potest.

Tertio: Characteres certis cœli aspectibus fabricati & adhibiti, & verba certis temporibus prolata, certos siderum recipiunt influxus, per quos peculiares & admirandos effectus operantur. Ergo & phantasia similes recipere poterit. Sit

Conclusio XXVI. Phantasia nullam peculiarem agendi vim recipit à cœlis.

Pro hujus intelligentia est notandum, primo, duplici ratione dici posse phantasiam recipere vim à cœlis: vel sic, quod anima, cujus ipsa est potentia, in prima sui creatione recipiat influxum & virtutem à cœlis pro natura illius constellationis sub qua creatur, secundum quam virtutem postea mediante potentia imaginativa operetur; vel quod illam recipi-

recipiat postmodum, postquam jam homo est natus, quovis scilicet tempore quo phantasia est in exercitio suæ operationis: sic, quod quando interdum fortius est intenta suæ operationi, valeat recipere influxum & virtutem illius sideris quod tum casu fortuito fuerit dominatum, vel ejus quod habeat virtutem illud efficiendi quod illa imaginatio tum imaginatur; qua virtute cœlitus jam imbuta & informata, valeat vicissim alia alterare & permutare.

Est secundo notandum, non negare me, quin secundum constellationem corporum cœlestium phantasia bene possit immutari indirecte, secundum aliquam dispositionem communem, puta, quod perfectius vel imperfectius operetur; quatenus scilicet per illam constellationem aër immutatur, & fit humidus aut nebulosus, & spiritus cerebri fiunt humidiores & crassiores, & nebulosi, & cerebri substantia humidior, ex quo fit, quod non possit tam perfecte suam operationem exercere, sicut alias facit: Sed dico, directe non posse à cœlis acquirere ullam vim activam peculiarem diversam à sua natura cognoscitiva, per quam possit in corpora ulla agere, & illa realiter permutare.

Quod probatur primo: Corpora cœlestia sunt causæ universales. De ratione causæ universalis est edere effectus generales, omnibus rebus sublunaribus adesse & operari necessari-

ceſſario, aut gubernare generali quodam influxu mundi elementa, & conſervare ea in ſuo eſſe, & non edere effectus particulares; effectus autem particulares fiunt à cauſis particularibus: at influere vim aliquam activam in phantaſiam eſſet effectus quidam particularis. Ergo cœli talem vim non influunt in eam. Denique cœli agunt motu & lumine. At motu & lumine non poſſunt produci niſi qualitates communes in toto univerſo, ut calor, &c. & non peculiaris aliqua virtus activa in hujus vel illius hominis phantaſia. Ergo.

Dices; Cœli agunt etiam per influentias. Per influentias autem producunt effectus particulares & ſingulares proprietates agendi in rebus ſubjectis. Ergo etiam in phantaſia producere poſſunt. Sed eſto: ſaltem illæ proprietates peculiares producuntur univerſaliter in omnia corpora ſubjecta receptiva ejuſmodi proprietatum; alioqui cœli non eſſent cauſæ univerſales. At ejuſmodi fictæ proprietates agendi non producuntur in omnium hominum phantaſiis. Ergo cœli non producunt eas. Aſſumptum probatur: Quia ſic, quando phantaſia unius hominis reciperet à cœlis ejuſmodi influxum, omnes phantaſiæ omnium hominum eodem tempore deberent eundem influxum & eandem proprietatem recipere. At hoc non fit; non enim quando unus per phantaſiam aliquid putatur agere,

gere, omnes qui eodem tempore imaginantur, vel eodē tempore nati aut concepti sunt, illud agere inveniuntur. Ergo. Denique, si una constellatio posset suam in phantasiam influere virtutem, posset & alia suam; phantasia enim omnibus hominibus eadem est, cum animæ omnes sint eædem, & organa omnia eodem modo dispositа, solum secundum magis & minus in suo temperamento variantia: unde cum una constellatio tam sit fortis in sua influentia & virtute producenda, quam alia in sua, quocumque tempore homines nati essent, aut quocumque tempore fortiter imaginarentur, semper aliquam deberent à cœli constellationibus recipere virtutem. Et quia omnes homines semper sub aliqua constellatione nati sunt, aut imaginantur; deberent omnes habere peculiares proprietates suæ phantasiæ, per quas hi hæc, illi illa facere possent. Atqui id non videtur ita se habere: nam quomodocumque constellationes quotidie mutentur, & quacumque constellatione homines nati sint, semper eodem modo imaginantur, & semper eodem modo sensibilia externa judicant, nec ullam sentiunt in suis phantasiis diversitatem aut mutationem, neque habent omnes aliquas peculiares virtutes & proprietates aliquid faciendi. Ergo.

Secundo: Si constellationes possent influere in phantasiam, possent etiam influere in

potentias animę vegetativas, & quidem multo magis; quia hæ ſunt ordinatæ ad agendum, minime autem potentiæ cognoſcitivæ. At conſtellationes cœli non inducunt potentiis vegetativis novas proprietates agendi; ſed ſicuti concoctrix unius hominis concepti aut concoquentis ſub una conſtellatione producit in ſtomacho chylum, ita & alterius. Ergo.

Tertio: Si ſidera influunt talem vim, vel influunt in animam, vel in potentiam, vel in ſpeciem, vel in organum. Non in animam; quia illa eſt ſpiritualis; materiale autem non poteſt agere in ſpirituale: Non in animæ potentias; quia vel ſunt eſſentialiter idem quod anima, & ſic manet idem argumentum; vel ſunt accidentia, & ſic etiam virtutes cœlorum non poſſunt in eas influere, quia unum accidens non poteſt influere aut recipi in aliud: Non etiam in ſpecies phantaſticas; quia ſunt etiam accidentia & quidem tenuiſſimæ entitatis: & ſi in ſpecies phantaſticas, certe & eadem ratione in ſenſibiles influere poſſent; at non videmus quod propter varietatem conſtellationum calor uno die aliter agat in ſenſum quam alio, aut color uno die aliter immutet viſum quam altero, aut ſpecies receptæ uno die nos calefaciant, altero refrigerent, &c. Ergo ſi in aliquid influerent, influerent in ſolum organum phantaſiæ: at non etiam in illud influunt: Ergo in nihil. Aſſumptum probatur:

batur: Quia ſidera non influunt niſi effectum, ut dixi, univerſalem; & influunt in omnia ſubjecta receptiva. At omnes homines eodem tempore imaginantes, vel eodem ſidere nati, habent eandem vim agendi. Ergo. Accedit, quod nulla talis virtus influi poſſit, per quam natura ipſius potentiæ poſſit immutari: ut, ſcilicet, quæ eſt cognitiva & paſſiva, fiat activa; & quæ eſt nata ſolum intentionaliter agere, acquirat naturam agendi realiter. Etenim influxus cœleſtes non permutant rerum ſublunarium eſſentias & virtutes eſſentiales, ſed eas conſervant: & qualeſcumque aſpectus ſiderum ſint, qualeſcumque influxus, ſemper omnia agunt pro natura ſua; ſemper calor calefacit, ſemper magnes ferrum trahit; homo hominem, canis canem generat; ſemper ſpecies viſibilis eodem modo viſum afficit, & intelligibilis intellectum, & ſtomachus chylum concoquit, & hepar ſanguinem; & ſemper potentia paſſiva manet paſſiva, & activa manet activa. Quare, ut & ſpecies phantaſticæ ſemper maneant repræſentativæ, & phantaſia maneat cognoſcitiva, & non activa, aut ullius realis alterationis effectiva, eſt neceſſum. Nec valet dicere, quod quidam dicunt, cœlos eſſe animatos, aut unam totius mundi animam eſſe, & ideo, ſicuti dicimus in anima hominis eſſe conſenſum, & ſympathiam potentiarum, quod una operans excitet aliam in actum, ſic etiam eſſe

ſym-

ſympathiam inter animas noſtras & animam cœlorum, & per eam operationes animæ noſtræ excitare in actum virtutes & operationes cœlorum; adeo ut cum anima noſtra fortiter imaginatur aliquem effectum, cœli per illam ſympathiam excitentur ad illum effectum in re de qua imaginatio eſt producendum, vel vim ejus productricem in phantaſiam tranſmittendum: quia imprimis, ejuſmodi de mundi & cœlorum anima opinio falſa, erronea eſt, & damnata: ſecundo etiam, quia ſic ſequeretur, quod, ſicuti in omnibus hominibus ineſt eadem illa potentiarum ſympathia, ita inter animam cœlorum, ſeu mundi, & omnium hominum animam deberet etiam eſſe eadem ſympathia; ac proinde propter omnium & ſingulorum intenſam imaginationem, eodem modo ſemper cœli vires ſuas exercere, & eoſdem effectus in rebus phantaſia cogitatis producere deberent: quod minime fieri eſt manifeſtum.

Ad argumenta reſpondetur. Ad authoritatem Avicennæ, patet reſponſio ex iis quæ jam dicta ſunt. Ad authoritatem Ariſtotelis reſpondeo: Sublunaria corpora regi à ſuperioribus; non quod ſuperiora corpora infundant in ſublunaria peculiares omnes virtutes quibus ipſa operentur, (eas enim non habent à cœlis, ſed à propria forma & natura) ſed quod producant qualitates quaſ-

dam communes, quibus ſublunares res ſuſciuntur in ſuis operationibus; vel, quod applicent res ſublunares ad operandum, aut conſervent eas in eſſe per influxum quendam. Quod hic non attinet exactius diſputare.

Ad ſecundum reſpondeo: Cœlos in dæmones non agere, ſed dæmones homines aliquando certis cœli conſtellationibus magis infeſtare: non quod à cœlis coerceantur, aut vim recipiant; ſed vel quia utuntur aliquando cauſis naturalibus & humoribus corporis ad homines cruciandos, qui certis anni temporibus & cœli conſtellationibus magis in corpore agitantur aut augentur; vel quia volunt homines hac ratione fallere, faciendo, ut hac ratione credant effectus illos non ab opera diabolica, ſed virtute cauſarum naturalium proficiſci.

Ad tertium reſpondeo: Verba & characteres (cum ſint quid artificiale, & ſint accidentia, & nullam agendi vim habeant naturalem) à cœlis vim nullam acquirere, ſed ſolummodo virtute diabolica operari: Diabolum autem de induſtria facere, ut ſub una conſtellatione majorem quam ſub altera efficaciam habeant, propter rationem jam commemoratam. His prælibatis quæritur

QUÆSTIO VIII.

An ergo phantasia nullam habeat vim agendi.

Conclusio XXVII. Phantasia per accidens potest esse causa multorum effectuum, & multarum tum perturbationum, tum alterationum in corpore, tam alieno, quam proprio.

Hæc conclusio est manifesta. Imaginationibus parentum fœtus sæpissime signantur: imaginatione cibi lautioris saliva in os adscēdit: diuturna veneris imaginatione coles excitatur; nocturna, etiam semen emittitur: videntes alios oscitare, oscitant: imaginatione mingendi, cacandi, edendi, dolendi, sitiendi, partes stimulantur, & iisdem passionibus ac inclinationibus revera afficiuntur: ut est apud Aristot. 7. probl. 2. Imaginantes se aliquibus morbis laborare, sæpe tandem in aliquos morbos incidunt. Propter imaginationem sæpe putantur videri quæ non videntur; audiri, quæ non audiuntur; sentiri, quæ non sentiuntur. Imaginantes res amaras & austeras, non raro eosdem sapores percipiunt; videntes alios austeros fructus comedentes, horrore & stupore dentium corripiuntur. Præfixa per imaginationem surgendi hora, homines eadem expergiscuntur, & spiritus eadem hora excitantur, qui

vapores cerebrum obſidentes & ſomnum facientes pellunt. Quæ quis facienda fortiter ſibi propoſuerit, ea ſæpe etiam noctu agere incipit. Sola imaginatione & terrore ex viſione epileptici cadentis conceptis, nonnulli feruntur in epilepſiam incidiſſe. Nimia imaginatione de peſte, etiam per ſomnum, plurimi in peſtem incidunt. Alii diuturna rerum triſtium meditatione, in lipothymiam, melancholiam, marcorem & phthiſim incidunt. Imaginatione rei fœtidæ, vel naturæ contrariæ, ex ſola relatione vel oblatione concepta, plurimi vomituriunt, & ſanguinem è naribus emittunt: imaginatione pharmaci nonnulli purgantur. Plurimæ mulieres ſola imaginatione, quod cibi aliqui boni ſint vel mali, eorum deſiderio tenentur, comedunt, & ſuaviſſimum ex iis percipiunt ſaporem; ut zinzibere, creta, pice, lateribus, &c. Cogitando adverſa vel proſpera toto corpore homines moventur, calefiunt, refrigerantur, horrent, tremunt, rubent pallentque. Aliqui una nocte forti mortis imaginatione canuerunt: aliqui ad ſupplicium adducti ſola virgula, vel linteo madido tacti, exſpiraverunt. Et aliæ multæ fiunt in corpore per phantaſiam perturbationes.

Concluſio XXVIII. Hoc facit movendo & dirigendo alias animæ potentias movendi & alterandi vim habentes.

Etenim

Etenim, ut jam diximus, per phantasiam multæ in corpore fiunt alterationes. Illas non potest phantasia facere per se; quia illæ vel fiunt per motum localem, vel per alterationem: neutrum motum potest phantasia per se facere. Ergo ut per accidens faciat est necessum. At non videtur quomodo per accidens faciat, nisi sic movendo & dirigendo alias potentias, quæ illas faciant per se. Ergo sic facit. Quæritur ergo

QUÆSTIO IX.

Per quas potentias phantasia corpora immutet.

Conclusio XXIX. Phantasia non potest per ullas potentias cognoscitivas corpus ullum afficere vel immutare.

Probatur conclusio: quia sicut phantasia, quia est cognoscitiva, non potest corpora immutare, ita nec potentiæ aliæ cognoscitivæ. Propterea etsi phantasia possit movere intellectum, tamen per eum non potest operari: etenim intellectus est immaterialis, & ideo non potest agere in materiam corporalem, quoad ullam alterationem vel generationem, aut formæ in materiam introductionem; sicut nec angeli possunt. Pariter etsi phantasia etiam moveat alias potentias sensitivas, per eas tamen in corpus nullum agere potest; quia earum actiones sunt

immanentes, &, ipsæ potius agerent per phantasiam, quam phantasia per ipsas.

Conclusio X X X. Per potentiam locomotivam animalem seu voluntariam potest per accidens, & corpori proprio, & alieno, varias inducere permutationes.

Etenim movendo appetitum, & mediante appetitu motivam animalem, & sic causando motum membrorum, brachiorum scilicet & pedum, & illo mediante, activa passivis applicando, potest & corpus proprium & alienum variis dispositionibus afficere. Sed hoc non est adscribendum phantasiæ, sed potius voluntati, quæ phantasiæ imperat & dominatur. Hac ratione per saltum, magnam vociferationem, nimium exercitium, percussionem, & agentium externorum applicationem, potest phantasia suum corpus afficere vulneribus, fracturis, apostematibus, febre, & quovis tandem genere morborum. Potest etiam eadem ratione mater corpus sui fœtus varie lædere, & quivis etiam in externa corpora vim similem convertere. Sed ejusmodi alterationes & affectiones habent causam evidentem & externam, & ideo non cadunt sub præsentem considerationem. Illas vero alterationes & permutationes, quæ fiunt motu interno humorum, non potest nec phantasia nec voluntas per motivam voluntariam causare: eo quod (ut conclu-

sione

sione 17. dictum est) illi à locomotiva animali non moveantur.

Conclusio XXXI. Phantasia agit in corpora per potentiam appetitivam, seu mediantibus animi passionibus.

Haec conclusio est D. Thomæ part. 1. quæst. 110. art. 2. resp. ad 1. & q. 117. & part. 3. quæst. 13. art. 3. ad 3. & 3. contra gentes cap. 103. ubi dicit animam & phantasiam per se non posse corpus immutare, sed tantum mediante appetitu, & passionibus animi, & humorum & spirituum motu, qui quidem ab ipso appetitu moventur. Eandem tenet Ferrariensis ibi, Zoares in Metaph. disput. 18. sect. 8. cap. 25. Conimbricenses de gener. & corrupt. lib. 1. cap. 4. quæst. 30. art. 2. & 7. Physicorum c. 2. quæst. 2. art. 7. Jacobus de Forlivio super technen 3. quæst. 11. Citad. lib. 3. cap. 15. Thomas à Vega, aliique.

Et probatur primo: Phantasia est nata movere appetitum, & inducere animi passiones, ut est manifestum: quia læta cogitando gaudemus; tristia cogitando metuimus & tristamur: & omnes animi passiones prævia am sequuntur cognitionem. At animi passiones sunt maxime corporis alterativæ. Ergo illis mediantibus potest phantasia corpus alterare.

Probatur secundo: videmus quod simplex imaginatio nullam faciet in nobis alterationem: sive enim imaginemur ignem, sive

aquam, si simplex & incomplexa sit imaginatio, nulla in corpore nostro continget alteratio; sed si phantasiam animi passiones consequantur, tum demum alteratio consequitur. Sic intensa matrum cogitatio non signat fœtum, nisi subitus terror aut intensum desiderium succedat. Sic aliquando mulieres momentaneo motu & terrore signant fœtus, non quidem per se propter imaginationem, quia in illo tempore momentaneo non potest phantasia esse valde intensa; sed propter animi passionem conjunctam. Et hinc est, quod longa & intensa imaginatio non signet fœtum, sed plerumque subita. Hoc autem est indicium phantasiam per se non alterare; quia si per se alteraret, diuturna & intensa imaginatio magis alteraret quam subita: sed solum alterare ratione vehementis animi passionis.

Verum objiciet aliquis; Phantasia non potest movere & excitare appetitum: ergo eo mediante non potest alterare, nec in corpora agere. Antecedens probatur, quia non videtur modus quo phantasia possit appetitum movere. Etenim phantasia est potentia cognoscitiva, appetitus non est cognoscitivus. Ergo phantasia non potest appetitum excitare. Sequela probatur: Nam si posset excitare appetitum, hoc deberet facere offerendo ei suas species phantasticas; quo modo phantasia movet intellectum & sensus ex-

externi movent phantasiam. At sic non potest eum excitare: quia species non afficiunt nisi potentiam cognoscitivam; appetitiva non est cognoscitiva; ergo eam non afficiunt. Si eam non afficiunt, ergo illam movere non possunt. Denique phantasia & appetitus à se invicem longe distant subjectis: nam phantasia est in cerebro, appetitus est in corde. Ergo non potest phantasia appetitum movere. Secundo, etiamsi phantasia moveret appetitum, non ideo posset corpora alterare aut permutare. Etenim potentia appetitiva etiam non est activa, quia ejus actio est immanens; & etiam non est alterativa, quia, ut dictum est conclusione 19. nullæ potentiæ sunt alterativæ præterquam vegetativæ. Ergo nec phantasia potest alterare per illam.

Respondeo, phantasiam non movere appetitum per talem objectivam communicationem specierum, sed solum per quandam naturalem subordinationem earum inter se, & sympathiam fundatam in identitate radicis & subjecti utriusq;. Propter hanc enim fit, quod quando anima per unam aliquam potentiam fecit aliquam actionem, eadem anima per aliam potentiam cum illa priore naturalem connexionem & ordinem habentem, statim edat aliam actionem. Hac ratione multæ potentiæ se mutuo excitant in opus, in quibus nulla talium specierum com-

municatio esse potest. Sic potentiæ naturales se mutuo excitant, attractrix, retentrix, concoctrix, &c. in quibus nullæ reperiuntur species: sic appetitus excitat potentiam motricem; & per animi passiones humores & spiritus sursum, deorsum, intro & extra feruntur. Est quidem verum, multas potentias se mutuo excitare, & dirigere objective per species communicatas; sed id in omnibus fieri non est necessum. Ad confirmationem respondeo: Utramque potentiam in cerebro esse: ut tamen appetitus in corde esset, nihil referret, quia in utraque parte est eadem anima; eadem autem anima exercens actionem per unam potentiam in una parte, potest tam facile per aliam potentiam exercere aliam actionem in parte remota, quam in eadem.

Ad secundum respondeo: Phantasiam non alterare corpus per appetitum & animi passiones immediate, sed mediate, quatenus appetitus movet & excitat potentias motrices naturales membris, & præcipue cordi inexsistentes, & illæ movent humores & spiritus, qui suo ad membra accessu vel recessu illa positive aut privative alterant.

Conclusio XXXII. Phantasia ergo alterat & immutat corpora, mediante motu humorum & spirituum.

Etenim phantasia alterat mediantibus animi

nimi passionibus: animi passiones alterant mediante motiva naturali cordis, & mediante motu humorum & spirituum: ergo & phantasia. Ex quo est notandum, in omnibus mutationibus & alterationibus quæ hac ratione fiunt, phantasiam esse causam valde remotam, & per accidens, quippe quæ ejusmodi alterationes non facit, nisi tribus aliis causis mediantibus, appetitu nimirum, potentia motiva naturali cordis, & humoribus & spiritibus: ipsi enim humores & spiritus sunt qui ultimo, proxime, & per se alterant. Si phantasia illis potentiis intermediis imperaret, & eas per imperium ad exercitium sui actus moveret, posset merito quicquid per eas tandem agitur, phantasiæ, utpote dominæ & causæ principali, adscribi; quo modo facta militum duci exercitus, & facta servorum patrifamilias adscribuntur: sed modo illas sic non movet, sed ita movet, sicuti etiam eas movent sensationes externæ, etsi uno gradu immediatius; & ita, qua ratione ejusmodi permutationes & alterationes phãtasiæ, eadem & sensibus externis adscribi possent. Sicuti enim imaginando ignem, hostem, leonem, tremimus, pallemus & refrigeramur: ita etiam eos videndo, vel audiendo. Unde sicut vix solent ejusmodi alterationes sensibus externis adscribi, ita quoque videntur non nisi improprie & valde remote phantasiæ adscribi debere. Præcipua autem

autem causa earum sunt appetitus & animi passiones.

Verum quæri potest, Annon etiam alia ratione phantasia corpora immutet, & annon propinquius & magis per se, potentias vegetativas aliqua ratione per se vel movendo, vel dirigendo. Etenim cum potentiæ vegetativæ (ut conclusione 19. est ostensum) sint per se alterativæ; si phantasia posset eas dirigere, utique videtur, quod magis proprie & per se alterationum quæ inde contingerent causa esset. Sit

Conclusio XXXIII. Phantasia non solum mediante appetitu & motiva cordis, sed necessario etiam alio modo corpora immutat.

Hæc conclusio est contra D. Thomam; quippe qui ubique dicit animam non aliter corpora immutare, quam per appetitum & passiones, & motum cordis. Est tamen vera. Etenim plurimæ circa fœtum virtute imaginationis eveniunt mutationes, quæ non possunt solis animi passionibus adscribi, & quarum ratio dari non potest, nisi alia causa propinquior assignetur.

Conclusio XXXIV. Phantasia etiam mutat corpora, dirigendo & modificando potentiam conformatricem.

Et hac ratione phantasia facit magis admirandas illas & singulariſſimas & magis particulares, quæ in corpore fœtus contingunt, permutationes. Hanc conclusionem,

quia

quia iterum infra (ubi particularius de causa permutationis fœtus agemus) clarioris doctrinæ causa repetemus ; ideo hic non probamus, ibi latius probaturi.

Conclusio XXXV. Proprium corpus non aliter movet, quam mediantibus animi passionibus ; non autem ulla conformatricis directione aut immutatione.

Prior pars conclusionis conclusione 31. est probata. Posterior probatur : Quia in corpore proprio conformatrix est extincta, vel cessat operari ; ergo phantasia non potest illud immutare dirigendo actionem ejus, quia ejus jam nulla amplius actio est, aut si est, est debilis & imbecilla.

Secundo : Etiamsi conformatrix adhuc superstes esset, & aliquo modo dirigi posset, tamen per hoc substantia corporis non permutaretur ; quia substantia corporis in nobis jam natis & adultis est dura, & à facultate conformatrice non amplius mutabilis, sicuti est in teneris corporibus ipsius fœtus adhuc nascentis.

Tertio : Quia nullus sit ab imaginatione in corporibus nostris jam natis & adultis effectus, quin possit commode referri ad animi passiones, ut ad propriam causam ; & nullus videtur contingere effectus, qui dici possit evenire à conformatricis turbata vel permutata operatione. Etenim stigmata, figuræ, colores, qui in fœtibus producuntur, & à

formatricis mutata operatione videntur proficiſci, nunquam per imaginationem in corporibus adultis oriri videntur. Quomodo corpus alienum internum, nempe fœtus, à phantaſia alteretur, infra dicemus.

Porro, quando nunc diſputatum eſt, quo modo & quibus mediantibus potentiis phantaſia corpora immutet, reliquum eſt ut videamus in particulari, quæ corpora ſic immutet, & quantam circa ſingula immutationem facere poſſit. Cum ergo ſupra à nobis corpora ſint diviſa in proprium & alienum, alienum aliud ſit internum aliud externum, & ſub interno fœtus comprehendatur; videndum eſt, quid phantaſia poſſit in corpus proprium, quid in corpus fœtus, quid in externum agere. & primo

QUÆSTIO X.

Quid poſſit in corpus proprium; & ſpecialiter, An poſſit in eo creare morbos.

ET videtur quod ſic; primo authoritate. Etenim D. Thomas 3. cont. gent. cap. 99. volens oſtendere Deum poſſe operari præter ordinem rebus inditum, producendo effectus abſque cauſis propriis eorum, id probat ex eo, quod imaginatio id poſſit; ergo multo, inquit, magis potentia divina. Nam ex eo, inquit, quod homo aliquid imaginatur & vehementer afficitur, ſequitur mutatio

mutatio in corpore ad ſanitatem vel ægritudinem, abſque ratione principiorum naturalium, quæ nata ſunt in corpore ægritudinem vel ſanitatem cauſare.

Probatur ſecundo ratione. Phantaſia eſt cauſa variarum alterationum in corpore, caloris, frigoris, ruboris, palloris, &c. Nam qui imaginantur horrenda, refrigerantur; qui læta, incaleſcunt: at exceſſus caloris & frigoris ſunt morbi in intemperie: ergo.

Denique phantaſia eſt cauſa motus humorum & ſpirituum in corpore, ut eſt concluſione 31. Motu humorum & ſpirituum poſſunt varii, imo omnis generis, morbi in nobis cauſari: nam motu humorum poſſunt fieri obſtructiones, & conſequenter apoplexiæ, calculi, aſthma, dyſuria, cæcitas, &c. ulcera & apoſtemata interna: motu ſpirituum poſſunt fieri deliquia, vertigines, &c. Ergo. Imo videtur quod homo per ſuam imaginationem poſſet ſe fere afficere quocumque morbo vellet. Etenim, ut concluſione 23. eſt oſtenſum, imaginatio habet vim directoriam: ergo poteſt humores in quamcunque partem determinatam dirigere, & in ea morbum facere, imo etiam hunc vel illum morbum determinare.

Probatur tertio experientia & exemplis. Contingit ſæpe eos qui ſibi perſuadent ſe aliquo morbo laborare, tandem in illum incidere. Quotidiana experientia docet, nimis

intenſe

intenſe de peſte imaginantes ea corripi, & ſæpe eam magis imaginatione & metu quam contagio ſerpere. Videmus homines imaginatione & aſpectu præcipitii, hoſtis, & cujuſvis periculi contremiſcere, cadere, horrere, in deliquium animi incidere. Habuimus ſuperius exempla eorum qui imaginatione mortis una nocte cani facti ſunt: habuimus alterius, qui, in theatro ad ſupplicium expoſitus, & panno frigida imbuto in collum percuſſus, putans ſe gladii ictum ſentire, exſpiravit. Docet eventus quotidianus, curis, ſollicitudinibus & cogitationibus perpetuis detentos in phthiſim, hydropem, atrophiam, melancholiam morbum non raro incidere. Scribit Marcellus Donatus lib. 2. c. 1. hiſtoriæ ſuæ mirabilis, Vincentium quendam imaginatum fuiſſe ſe tam magnum corpus habere, quod per oſtium tranſire auſus non eſſet; ſed medicum eum vi per oſtium tranſportari feciſſe: poſtea vero ægrum conqueſtum fuiſſe ſe in iſta tranſportatione totum fuiſſe interius confractum, & paulo poſt eſſe mortuum. Scribit Fulgoſius lib. 1. cap. 5. Arnoldum philoſophum ſcribere, cum nocte ſomniaſſet ſe à cato in pede morderi, poſtridie mane in eodem pede ulcus vel anthracem contraxiſſe. Scribit quidam (Thomas, ni fallor, à Vega) quendam ambulantem inter ſepulchra parentum, cum forte fortuna calcaret lapillum, ſic ut calceis fortiter adhæ-

hæreret, induxisse in animum, se à manibus suorum parentum trahi : & illa imaginatione intra septimanam mortuum fuisse. Scribunt aliqui, antiquis temporibus accidisse, quod histriones qui agebant personas furiosorum, ut Herculis, Athamantis, Thyestis, Orestis, Alcmæonis aut Ajacis, habuerint tam fortem imaginationem ad bene repræsentandum facta illorum, ut ipsimet actu furiosi facti fuerint. Nota est historia Æsopi insignis histrionis, qui exhibens personam Thyestis, sceptro occidit unum servorum suorum. Lucianus lib. περὶ ὑποκρίσεως scribit de quodam, quod repræsentans Ajacem furiosum, factus fuerit ita perturbatus, ut vere evaserit furiosus. Bibius Gallus Romanus, cujus meminit Seneca in declamationibus, imitando stultum, ipsemet stultus factus est. Scribit Cœlius Rhodiginus lib. 20. cap. 16. suarum antiquitatum, quendam, cum vellet, paralysim, alium apoplexiam, & sensus mentisque privationem sibi excitare potuisse.

Conclusio XXXVI. Imaginatio per se non potest ullum morbum inducere; id est, per nudum & simplicem actum imaginationis non potest induci ullus morbus, sic ut nuda imaginatio per se sit illius causa.

Probatur. Etenim si phantasia posset per se causare morbum, vel deberet hoc facere movendo per se corporis humores localiter, vel per se alterando. Non movendo humo-

res

res corporis, quia concluſione 17. & 22. oſtenſum eſt phantaſiam non movere per ſe humores, & concluſione 19. & 24. eſt oſtenſum per ſe non alterare, & concluſione 23. nec ſpecies ejus alterare; & concluſione 20. generaliter eſt oſtenſum phantaſiam non eſſe activam. Ergo.

Probatur ſecundo. Si phantaſia per ſe, nudo ſuo actu imaginationis, poſſet cauſare morbum, cauſaret morbum imaginatum: at eum non cauſat: ergo. Antecedens probatur. Nam ſi phantaſia eſſet activa, & morbum producere poſſet, eſſet de ſe indeterminata ad movendum hunc vel illum humorem, ad hanc vel illam qualitatem inducendam, & hunc vel illum morbum producendum. Ergo per ſpeciem morbi imaginati deberet determinari ad hunc potius quam illum producendum; & conſequenter deberet producere morbum imaginatum. Minor probatur. Quia qui imaginatur icterum non ideo fit ictericus; qui imaginatur podagram non ideo fit podagricus; qui aliquando falſo imaginantur ſe calculo, aut internis apoſtematibus aut ulceribus laborare, aut melancholici qui imaginantur ſe eſſe claudos, aut habere magnum naſum, aut corpus tam magnum ut per oſtium tranſire non poſſit, non propterea tales evadunt, aut crurum diſlocationem, aut illam naſi aut corporis magnitudinem acquirunt: ſed ſi aliquam intenſam

tenſam de re aliqua meditationem aut phantaſiam morbus ullus ſequatur, non fit morbus imaginatus, ſed aliquis morbus communis, ut atrophia, hydrops, melancholia, aut ſimilis aliquis; qui per accidens fiunt propter mœrorem, ſomni defectum, aut ſpirituum à partibus nutritionis avocationem, ejuſmodi meditationem aut ſollicitudinem comitantes. At dicit aliquis, Docet quotidiana experientia, imaginantes & cogitantes intenſe de peſte, peſte corripi. Ergo imaginatio in iis per ſe peſtem facit, & morbum imaginatum. Reſpondeo, hoc per accidens fieri, & imaginationem peſtis per ſe non facere peſtem. Etenim ſi imaginatio peſtis faceret peſtem, imaginatio alterius morbi etiam faceret illum morbum imaginatum. Non enim eſt ratio cur imaginatio peſtis magis faceret peſtem, quam imaginatio alterius morbi illum morbum; tam enim eſt fortis ſpecies alterius morbi ad movendam imaginationem, & cauſandum morbum ſimilē, quam ſpecies peſtis ad cauſandum peſtem: ſed imaginatio alterius morbi non facit illum, uti jam dictum eſt: ergo nec imaginatio peſtis per ſe facit peſtē. Sed quod fortiter de peſte imaginantes peſtem acquirāt, fit per accidens; quatenus ſcilicet imaginatio peſtis inducit magnum timorem, qui timor movet malignos, putridos & peſtilentes humores in corpore imaginantis latentes, qui moti

peſtem

peſtem faciunt. Et ita dico, imaginationem peſtis non facere peſtem, niſi in corporibus ad eam diſpoſitis: uti ex eo patet, quod tempore peſtis graſſantis multi ſæpe intentiſſime, & cum ſubſequente maximo timore de ea cogitantes, tamen propterea ea non corripiantur, tempore vero non graſſantis multo minus. Cujus ratio eſt, quod in neutris diſpoſitio ad peſtem adſit. Ex quo patet, imaginationem non eſſe per ſe cauſam effectivam illius, ſed ſolummodo occaſionalem, per accidens, ac remotam.

Concluſio XXXVII. Phantaſia per accidens poteſt eſſe cauſa multorum morborum variis modis. Primo, inducendo animi paſſiones, quæ morbos cauſant; ſicut concluſione 31. eſt oſtenſum. Hac ratione phantaſia poteſt eſſe cauſa omnium illorum morborum quos animi paſſiones inducere poſſunt, qui plurimi ſunt. Secundo, per hoc, quod propter intenſam imaginationem ſpiritus & vapores plurimi in caput attrahuntur, qui ibi exiſtentes poſſunt cerebrum vel calefacere, vel refrigerare, vel humectare, vel obſtruere. Et hac ratione per intenſam imaginationem, ſtudia, meditationes, poteſt quis incidere in deliria, vertiginem; per vigiliam, in epilepſiam, catarrhos, &c. uti quotidiana experientia eſt manifeſtum. Naturæ enim conſuetum eſt, ut ubi aliqua actio intenſe fit, eo ſpiritus & calorem, & ſequela quadam

& va-

& vapores & ſanguinem mittat. Tertio, per hoc, quod per intenſam imaginationem, ſtudium & meditationem, aliæ actiones naturales & vegetativæ impediantur, & ſpiritus, & calor ac ſanguis à partibus nutritoriis amoveantur, ad cerebrum ſcilicet attracti: propter finitam enim animæ virtutem contingit, ut quando ipſa circa unam actionem nimium eſt impedita, non poſſit aliam æque perfecte exercere. Hinc concoctio non bene fit, nec alimenti diſtributio, aut excrementorum expulſio: ex quo cruditates, obſtructiones, atrophiæ, &c. Quarto, per hoc, quod actio quævis nimia & nimis diu durans tandem organum ſuum fatiget, ſpiritus ejus conſumat, & harmoniam deſtruat. Nam hac ratione nimis intenſa imaginatio, curæ, ſtudia, meditationes, cerebrum debilitent, oculos deſtruant, &c. Videtur imaginatio etiam aliquando morbos facere per hoc, quod morbos parvitate ſua latentes detegat & aperiat. Sic qui morbo aliquo aut dolore exiguo laborant, ſæpe illum dolorem non percipiunt, niſi attendant; & cum attendunt, percipiunt: & illa ratione videtur imaginatio dolorem illum quodammodo facere; quamvis tamen revera non faciat. Attentio enim in omni ſenſu cauſa eſt, ut ſenſibile parvum perfectius percipiatur. Et hæc eſt cauſa cur pueri dolorem aliquem patientes, etiamſi de illo non conquerantur, quando tamen

men audiunt ejus fieri mentionem, incipiunt eum ſentire, & de eo conqueri. Hinc dolores omnes noctu majores quam interdiu; quia homines nullo ſenſuum exercitio diſtracti eos tum magis percipiunt. Hinc iterum pueri ludentes non percipiunt dolorem, ſed quieſcentes. Patientibus dentium dolorem, quando alios vident eodem torqueri, dolor recrudeſcit, &c. Eſt tamen ſciendum, quod, etſi imaginatio per ſe morbos aut dolores facere non poſſit, aliqua tamen ratione poſſit eos per ſe augere, quatenus ipſa habet vim aliquam directoriam motus ſpirituum & humorum, ſicut concluſione 22. eſt oſtenſum. Per hanc enim directionem fieri aliqua ratione poteſt, ut humores & ſpiritus magis ad affectam partem, quam ad alias, moveantur: ex quo fieri poteſt, ut morbi ac dolores augeantur.

Ad argumenta reſpondetur. Ad authoritatem D. Thomæ reſpondeo ex Ferrarienſi ad eundem locum, D. Thomam ibi non velle phantaſiam per ſimplicem actum ſuæ imaginationis ægritudinem aut ſanitatem inducere; alibi enim clare docuit imaginationem nihil agere, niſi mediantibus animi paſſionibus, & ſpirituum ac humorum motu: ſed hoc ſolum, phantaſiam poſſe morbos & ſanitatem facere ſine aliis cauſis ordinariis morborum, puta, inquit, putrefactione aut indigeſtione, &c.

Ad

Ad secundum respondetur, Id non fieri ab imaginatione per se, ut imaginatio est, sed per accidens, mediantibus passionibus & motu cordis; quod non negamus.

Ad exempla & experientias respondeo: Quod quidam inciderint in morbos quos imaginati fuerunt, factum fuisse non quod phantasia illum morbum fecerit, sed contra, quod morbus fecerit phantasiam. Etenim non ideo homines morbum acquirunt, quia imaginantur se eum habere; sed quia eum habent, vel jam ejus aliquod principium in se sentiunt, ideo se eum habere imaginantur, eumque timent, & de eo conqueruntur. Verum, quia interdum morbus tantum incipit, & adhuc non prodit se externis symptomatibus, unde homines judicant eos non ægrotare, ideo postquam jam vident eos in morbum, de quo antea fuerant conquesti, incidisse, putant eos illum per vim imaginationis contraxisse; cum tamen contrarium acciderit. Quod de peste adfertur, jam ostensum quomodo contingat. Alia fiunt quidem ab imaginatione, sed per accidens tantum, mediantibus animi passionibus, & aliis modis jam commemoratis. Ad exemplum Marcelli Donati dico, illum fuisse melancholicum aut maniacum, & fuisse mortuum ex morbo, non ex illa persuasione: aut si ex illa persuasione, non per se, sed per accidens id contigisse, mediante scilicet

cet ſumma triſtitia, ex qua plurimos mori non raro contingit. Ad exemplum Fulgoſii dico, illum non contraxiſſe ulcus aut anthracem in pede, quia ſomniaverat ſe ibi à cato eſſe commorſum: ſed contra, quia nocte illa jam aliquod mali illius principium & humoris aliquis defluxus incipiebant, quæ dormientis ſenſum & phantaſiam afficiebant, ideo eum tale aliquid de animali ſe ibi mordente ſomniaſſe. Ad exemplum Vegæ dico, illum etiam melancholicum fuiſſe, & ideo vel ex morbo, vel ex maximo timore in cœmeterio à ſpiritibus concepto, mortuum fuiſſe. Sic memini hic Lovanii quandam ſub noctem per cœmeterium euntem, concepto maximo à ſpectris timore, ſubito exſpiraſſe. Ad exempla illorum hiſtrionum dico, ea eſſe figmenta poëtarum, nec fidem mereri. Ad ea quæ Cælius Rhodiginus ex D. Auguſtino refert, ea vel arte diabolica, vel fallacia aliqua contigiſſe; alias impoſſibilia eſſe: ſaltem poſtremum de ecſtaſi ſeu apoplexia. Nam quod arte aliquis partem aliquam poſſit paralyſi afficere non eſt ita mirum. Fieri enim hoc poteſt, nervi alicujus in aliqua parte occulta ſtrictione aut compreſſione, aut validioris alicujus narcotici ſuperpoſitione: quo modo aliqui nebulones & circumforanei, ut mentita ſua alexipharmaca care divendant, ſumpto ſaccaro candido, perſuadentes populo arſenicum eſſe, occulta ſub manica

manica ligatura, brachiis ſuis aſphygmiam inducunt, ſimulantes ſe ſemimortuos eſſe, quouſque ſumpto ſuo alexipharmaco, ab animi illo, ſi Diis placet, deliquio omnium admiratione liberentur. Quæritur ergo

QUÆSTIO XI.

An poſſit morbos curare.

ET videtur quod ſic; primum authoritate. Etenim Galenus 1. prognoſt. dicit, confidentiam ægri de medico plurimum facere ad ſalutem, idque ſe in ſeipſo expertum eſſe; & propterea illum medicum melius ſanaturum, qui melius poterit perſuadere. Albertus Magnus, 4. de anima, ſcribit ægrum per confidentiam de ſuo medico tantum ſanare ſeipſum, quantum medicus medicamentis. Marſilius quoque Ficinus lib. 13. Theol. Platon. c. 1, & Conciliator differentia 135, Forlivienſis, & communiter omnes medici, magnam vim ejuſmodi confidentiæ adſcribunt. Auſus fuit ſcribere Pomponatius lib. de Incantationibus, illos qui aliquando ſanitatem conſequuntur ex cultu oſſium ſanctorum, eam ſolummodo conſequi virtute ſuæ imaginationis & confidentiæ quam de iis habent, adeo quod ſi tantum canis oſſa colerent, credentes ea eſſe oſſa ſanctorum, eodem quoque modo ſanitatem ſuam conſequerentur. Imo putat idem Pomponatius, & Andreas

Cataneus lib. de causis mirabilium effectuum, & multi alii, omnia appensa, verba prolata, morbos curare, non alia quam solius imaginationis virtute.

Probatur quoque experientia & exemplis. Quia experientia docet plurimos fuisse curatos à morbis, gestando solum lapillos, fordes & quisquilias, per hoc, quod crederent illa esse nobilissima & efficacissima amuleta. Docet etiam experientia, multos in febribus habentes summum cibi alicujus desiderium, & fortissimam imaginationem quod talis cibus esset eos sanaturus, comedendo eum sæpissime fuisse sanatos, etiamsi ipsi cibi secundum regulas medicinæ illi morbo noxii & contrarii haberentur. Sic multi aquam crudam ingurgitando, comedendo haleces ad satietatem, aquam vitæ bibendo, quæ omnia in febribus à medicis vetantur, subito sanitatem recuperaverunt, quam acceptis aliis plurimis remediis recuperare non potuerunt. Quod cum non fiat virtute naturali ipsorum ciborum, reliquum est, ut non fiat nisi virtute firmæ ægrorum confidentiæ & intensæ imaginationis. Scribit Thomas à Vega, quendam ex suis decumbentem causo, frequenter in delirio obnixissime medicos rogasse, ut liceret sibi in illo stagno (pavimentum monstrabat) natare, dicendo quod exinde esset convalitutus; & medicos id ei tandem concessisse: illum tum se in pavimen-

mentum mox dejeciſſe : & cum in eo aliquanto tempore fuiſſet voluratus, cum ſumma lætitia dixiſſe, aquam nunc ad genua & paulo altius adſcendiſſe : & cum ultimo ſibi perſuaderet eam jam uſque ad gutur perveniſſe, dixiſſe, ſe jam ſanum eſſe ; & revera ſanum evaſiſſe. Scribit Michael Medina lib. de recta in Deum fide cap. 7. ſe Salmanticæ puerum quendam noviſſe, qui gratiam ſanitatis habere credebatur, qui multos homines ſolo attactu graviſſimis morbis liberabat : ſed morbos tandem iterum recurriſſe, quando jam ægrorum imaginatio deferbuiſſet. Scribit Alexander Trallianus, quandam, quæ putabat ſe ſerpentem devoraſſe, ſanatam fuiſſe per hoc, quod medicus ei vomitorium dediſſet, & oborto vomitu ſerpentem quendam clanculum in teſtam injeciſſet. Scribit Gattinaria, Marlianum medicum quendam putantem ſe ranas in corpore habere, eodem modo curaſſe : & Aëtius Philotimum medicum quendam curaſſe, qui ſe putabat caput non habere, faciendo eum geſtare magnam laminam plumbi ſuper caput. Qui omnes ſanati ſunt melancholico morbo, ſola ſanationis imaginatione.

Concluſio XXXVIII. Phantaſia per ſe non poteſt morbos curare.

Hæc concluſio probatur per concluſionem præcedentem. Etenim ſi verum ſit phantaſiam non poſſe morbos inducere, ſequitur

quitur etiam non posse curare. Eodem enim modo quo curari possent, possent etiam produci. Si phantasia posset morbum calidum curare, posset frigidum producere; calidi enim curatio est frigidi productio: si posset obstructionem tollere, humores & spiritus ex parte expellendo, posset etiam facere, eosdem in aliam impellendo: & sic de aliis.

Imo multo minus potest sanitatem facere quam morbos. Nam ut fiat morbus, sufficit vitium unius dispositionis; ad sanitatem vero omnes dispositiones bonæ requiruntur: cum bonum in omnibus consistat, malum non nisi in una parte.

Probatur secundo: Infiniti sunt qui gravissimis morbis misere affecti, perpetuo cogitant & imaginantur sanitatem, & tamen non sanantur. Ergo.

Tertio: Si imaginatio sanitatis posset aliquem morbum sanare, maxime sanaret morbos in intemperie, quia illi sunt simplices, & curantur simplici alteratione: at nemo per imaginationem curatur hectica aut hydrope: ergo.

Quarto: Non est ratio cur imaginatio sanitatis magis causaret sanitatem quam morbum: ergo non potest causare sanitatem. Antecedens probatur: quia qui imaginantur sanitatem, simul imaginantur ægritudinem, imo magis imaginantur ægritudinem

nem quam ſanitatem ; quia ægritudo eſt præſens, & actu movet ſenſum ſuo dolore, ſanitas eſt abſens. Ergo ſi imaginatio ſanitatis produceret ſanitatem, imaginatio ægritudinis, quæ ei eſt conjuncta, eadem ratione ſimul produceret ægritudinem. Denique, qui imaginantur ſanitatem, ſæpe magis imaginantur medium ad ſanitatem quam ſanitatem ipſam, puta certum cibum aut medicamentum. At ſi imaginatio eſſet per ſe activa & effectiva imaginati, imaginatio remedii tam bene deberet in corpore efficere ipſum remedium, quam ipſam ſanitatem. At non efficit illud ; ergo nec hanc.

Quinto : Si imaginatio ſanitatis per ſe eſſet effectiva ſanitatis, eſſet indifferens ad omnem ſanitatem : quare ut produceret determinatam ſanitatem, deberet etiam eſſe determinata. At imaginatio ægrorum non eſt determinata ad aliquam ſpeciem determinatam ſanitatis : quia, qui poſt intenſam imaginationem aliquando ſanantur, nullius determinatæ ſanitatis habent cognitionem, nec ſciunt in quo ſit poſita ægritudo eorum, & ſic quoque non ſciunt in quo etiam ſanitas ſit conſtituta. Ergo imaginatio eorum non poteſt eſſe effectiva talis ſanitatis. Sanitas enim in univerſali non poteſt produci, ſed determinata, hæc vel illa.

Sexto : Sanitas non eſt una qualitas ſimplex, ſed à variarum convenientia depen-

dens: ideo non eſt conſequibilis uno ſimplici motu, ſed diverſis. Nam ut fiat ſanitas, multa diverſa debent fieri: humores debent loco moveri; aliqui forte retrorſum, qui ſint cauſa antecedens, aliqui antrorſum, qui ſint forte cauſa conjuncta, ut exire poſſint per vias convenientes: humores illi etiam debent ſæpe alterari, liquari, coqui; & membri quoque temperies mutari; ſuſcipientis partis debilitas confortari; mandantis robur & ſenſibilitas retundi, &c. Hos diverſos effectus non poteſt edere imaginatio, quæ eſt una ſimplex actio. Ergo.

Verum, ſicut concluſione præcedente dictum eſt, imaginationem poſſe cauſare morbos per accidens, ita dico etiam hic, eam poſſe cauſare ſanitatem per accidens; & proinde confidentiam ægri de medico per ſe non facere ſanitatem, ſed tantum per accidens: & hoc duobus modis, & non aliter. Primo, quatenus illa confidentia ingenerat in animo ægrotantis lætitiam, diffidentia vero mœrorem & timorem: lætitia autem dilatat vias, excitat calorem nativum, ſpiritus vivificat, unde morbi facilius ſuperantur, & non capiunt incrementum; triſtitia vero & timor refrigerant, ſpiritus obnubilant, vias coarctant, cruditates multiplicant, excrementa includunt, unde morbi augentur. Secundo, quia confidentia facit ægrum præceptis medici eſſe obedientem, & promptum

quævis

quævis medicamenta hilari animo assume-re; diffidentia vero ea aversari & recusare: quo fit ut cum illa morbus valeat superari, cum hac nequaquam.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad authoritatem Galeni, verum esse, confidentiam multum facere, sed nihil facere per se, sed tantum per accidens, ut jam dictum est. Etenim confidentia est in opinione, opinio est actio intellectus: morbi autem fiunt & curantur per potentias naturales seu vegetativas; potentiæ autem vegetativæ à sensitivis aut intellectu non diriguntur, aut imperantur. Ad Albertum Magnum nihil respondeo, nisi eum peccasse in nimis multum imaginationi tribuendo. Ad Pomponatium dico, eum impie locutum esse, & ideo ejus librum à sancta sede merito esse prohibitum, & opinionis illius falsitatem latissime refelli à Bartholomæo Pisano in prologo libri sui Conformitatum. Ad illud quod dicitur de appensis & amuletis, respondeo, illa plerumque esse superstitiosa, & ideo operari non in virtute imaginationis, sed in virtute diaboli: aut si aliquando non operentur in virtute diaboli, & tamen effectus sequatur, illum effectum esse casualem, & secuturum fuisse etiamsi illa appensa adhibita non fuissent. Ad illud de cibis nocivis quos aliquando sequitur sanitas, dico, hoc contingere non propter imaginationem ægrotantis, sed va-

riis aliis modis: vel quod illi cibi aut remedia per ſuam naturalem virtutem aliquando ſint revera boni, etiamſi medici hoc ignorent, ut in febribus intermittentibus ſinapi, aqua vitæ, vinum Hiſpanicum; vel quod, etſi ſint nocivi, tamen ſint aliquando cauſa alicujus effectus, quem per accidens ſequitur ſanitas, ut vomitus, ſudorum, vel alvi dejectionum, &c. quo modo alia inimica naturæ, ut elleborus, ſcammonea, per accidens curant morbos, natura conante illa expellere, & ſimul expellente cauſam morbificam; vel quod illa caſualiter fuerint oblata eo preciſe tempore quo jam morbus critice, vel vi præexhibitorum remediorum erat ſolvendus. Ad exemplum Thomæ à Vega reſpondeo, illud fuiſſe caſuale, & non poſſe ſciri quomodo acciderit: & ideo ipſummet non putaſſe accidiſſe virtute imaginationis, ſed quod forte à pavimento fuerit refrigeratus, & ab illo frigore interius febrilis calor reſtinctus. Ad illud quod refert Medina dico, ejuſmodi ſanationes fieri opera diaboli, qui ſuos artifices & ſibi fidem dantes ſæpiſſime fallit, & ſæpe videtur curare ad tempus, & non curat, Deo ita diſponente. Ad exempla illa melancholicorum reſpondeo, melancholiam ſæpe vitio corporis, ſæpe vitio ſolius animi, & ſpecierum nimis alte imaginationi impreſſarum, contingere: ut ſit in iis qui ex nimia devotione, ſtudio, aut amore melan-

melancholici evadunt. Melancholia quæ vitio corporis contingit, quæque vere est morbus, non potest ejusmodi inventis curari: nam per impressam aliquam in animo ægrotantis imaginationem, humores in cerebro & toto corpore exsistentes non possunt expelli, nec vitiosum cerebri temperamentum permutari. Sed quæ contingit vitio animi, per solam pravam imaginationem in animo radicatam, & revera non tam est morbus corporis quam potius animi, potest per inductam aliam imaginationem contrariam tolli.

Vidimus itaque quid possit phantasia in corpus proprium; videamus nunc quid possit in alienum. Et quia tractatio de alieno interno est longior, videamus primo

QUÆSTIO XII.

Quid possit in alienum externum.

PLurimi certe dixerunt, animam per virtutem imaginationis posse agere in remotum: & imprimis, uti supra audivimus, Avicenna 6. naturalium sect. 4. cap. 4. dixit, eam posse in res externas agere, posse eas alterare & pro imperio permutare; adeo ut etiã agere possit in distans sine medio, res longe dissitas permutare ac movere, non permutando intermedias; & posse hominem longe remotũ morbis afficere, ex equo dejicere, inte-

mere, pluvias & nubes excitare: non quidem omnem animam, ſed illam quæ nobilior fuerit & magis ſpiritualis, & à fæce corporea abſtracta. Avicennam ſecutus fuit Algazel 5. Phyſic. cap. 9. Alkindus & Paracelſus libris de imaginatione; & nonnulli alii, qui licet non tantam, ut illi, animæ & imaginationi vim tribuerint, tantam tamen tribuerunt, ut putent eam externa alterare, faſcinare, & variis morbis afficere poſſe; ut Marſilius Ficinus l. 13. Theolog. Platon. cap. 1. Iacobus de Forlivio 3. techn. quæſt. 11. Pomponatius lib. de incantationibus capite 4. Andreas Cataneus libro de cauſis mirabilium effectuum, Gentilis de Fulgineo, Weynrichius libro de monſtris, & alii. Inter quos aliqui putaverunt animam id ſolo imperio facere poſſe, ut Avicenna & alii Arabes, Paracelſus, Fulginas, &c. alii non quidem mero imperio & nuda apprehenſione, ſed emiſſione ſpirituum in res externas; qui vel malignis qualitatibus quibus formaliter præditi ſint, vel virtute ſpecierum quibus ſint imbuti, eas afficiant. Quod anima ſeu phantaſia nudo imperio & ſola ſpiritali apprehenſione id facere poſſit, ſic probat Avicenna. Superiora habent dominium in inferiora, & intelligentiæ regunt & immutant res corporales, & eas poſſunt pro libito movere, & in eas formas quaſvis inducere: anima eſt ſubſtantia ſpiritualis & ſeparabilis,

ſicut

ſicut intelligentiæ: ergo eodem modo quo illæ poterit in omnes res corporeas agere, & eas pro libito permutare. Quod vero per emiſſionem ſpirituum in res externas agere poſſit, eaſque alterare, ut alii dicunt, videtur non paucis argumentis poſſe probari: & primum authoritate communi omnium Opticorum, Galeni 7. de plac. & 10. de uſ. part. & Platonis in Timæo, & multorum medicorum qui videntur tenere viſionem fieri per emiſſionem. Si per emiſſionem, ergo aliquid emittitur: ſi aliquid emittitur, illud debet eſſe corporeum; quia emiſſio dicit motum localem, motus autem localis competit corporibus, non accidentibus. Ergo debet eſſe ſpiritus. Si videndo ſpiritus emittuntur, ergo illi in res certas dirigi poſſunt: ſi ita dirigi poſſint, ergo ad quas pervenerint, eas qualitatibus ſuis poterunt permutare. Probatur etiam authoritate D. Thom. Nam 3. contra gentes cap. 103. diſputans contra Avicennam, & refutans quod ipſe dixerat, phantaſiam, ſcilicet, per ſolum imperium & ſpiritalem ſuam apprehenſionem res externas poſſe movere, dicit illam hoc ſolum facere, quatenus eam ſequuntur animi paſſiones, à quibus humores moventur, & vapores ad cerebrum adſcendunt, qui ſpiritibus cerebri mixti, una cum illis vi imaginationis in externa ejaculantur. Et part. 1. quæſt. 117. art. 3, dicit phantaſiam ſpiritus immutare, qui tenui-

tenuitate sua ex oculis exeuntes, res externas invadunt, & eas afficiunt. Ubi non hoc tantum videtur D. Thomas velle, vapores propria & naturali sua levitate, & solo physico motu è corpore exire, & vicinas res afficere, sicuti afficerent quivis alii vapores & spiritus ex quacumque alia corporis parte exeuntes; sed afficere eas, ut ejaculatos & vitaliter ex oculis per vim imaginationis vibratos. Nam per hoc, quod imaginationem dicit sic alterare, & effectum ad imaginationem refert, videtur agnoscere aliquem concursum ipsius, ut spiritus illos & vapores dirigentis; alioqui non ad imaginationem, sed ad nudum contagium retulisset: & per hoc, quod dicit eos ad oculos adscendere, & per illos exeuntes agere, videtur indicare vapores hoc facere, non ut simpliciter naturali sua tenuitate & levitate è corpore exspirantes, sed ut ex oculis singulariter per vim visivam & imaginativam emissos. Certe, si spiritus ita emitti possint, sequitur omnino, quando ipsi maligna qualitate fuerint affecti, externas res ad quas pertigerint læsuros esse. Possunt autem maligna qualitate affici à vaporibus, qui motis per animi passiones corporis humoribus, sursum adscendunt, & ob congeneam naturam spiritibus permiscentur. Hoc de facto ita fieri, videtur experientia docere. Scribit enim Aristot. 2. de somno & vigil. cap. 2. & Plinius lib.

lib.7.cap.15. menſtruatam mulierem radiis ex oculis exeuntibus poſſe ſpeculum inficere: ſcribunt authores catoblepam venenatis oculorum radiis homines enecare: habuimus ſuperius certas gentes eſſe, quæ quos intuebantur poterant faſcinare: vetulæ animalia & teneros pueros faſcinant intuitu oculorum, ſecundum illud poëtæ, *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.* Quidni ergo homines odio & invidia ac ira affecti, motis inde malignis corporis humoribus, à quibus ſpiritus contaminantur, iiſdem ſpiritibus in res externas per imaginationem directis, poſſint eas lædere & permutare? Equidem videtur, quod non ſolum eas poſſint permutare qualitatibus realibus, quas à tali admixtione contraxerunt, ſed etiam ſola virtute ſpecierũ intentionalium, quæ in illis ſubjectantur: quæ ſpecies, cum ſecundum Ariſtot. lib. de communi animalium motione, habeant virtutes rerum, videtur quod res externas afficere poterunt iiſdem qualitatibus, quibus ipſæ res, quarum ſpecies ſunt, eas afficere poſſent.

Concluſio XXXIX. Phantaſia per ſe non poteſt in res externas agere, id eſt, non poteſt per ſuum actum imaginationis, per vetam aliquam aut directam efficientiam res externas permutare.

Hanc concluſionem tenet imprimis D. Thom. part. 1.quæſt.118. art. 3. ubi dicit animam

nimam non posse in corpora externa agere, nisi mediante suo corpore, quod agit ut corpus naturale, aut applicando activa passivis. Et ibidem art. 4. dicit animam non posse movere corpus cui non est unita. Ex quo sequitur, quod cum nequeat externum corpus neque alterare, neque localiter movere, nequeat etiam illud permutare, aut ulla læsione aut ægritudine afficere. Idem docet quæst. 110. ubi dicit, nec animam, nec substantias ullas separatas in res corporeas pro imperio agere posse. Eam tenet etiam D. Augustt, lib. 3. de Trin. cap. 8. Greg. de Valentia disp. 8. q. 8. puncto 2. Zoares Metaph. disput. 18. sect. 8. cap. 25. Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide c. 7. Conim. 7. Phys. q. 1. cap. 2. Toletus in 7. Phys. cap. 2. text. 24. q. 2. Franciscus Picolom. in lib. Phys. tract. de potentia motiva c. 24. Martinus Delrius lib. 1. Disqu. cap. 3. q. 3. Vayrus lib. de fascino, Valesius lib. de sacra Philos. Ludovicus Mercatus tom. 1. lib. 2. class. 3. q. 168. art. 4. Picus Mirandulanus, & communiter omnes philosophi.

Probatur conclusio ratione. Anima, ut est ostensum conclusione 12. & 13. nullum corpus externum potest directe per se movere nec alterare. Ergo nec phantasia: quia phantasia est potentia animæ, & ita non est nisi animæ instrumentum; si causa principalis non potest, ergo nec

go nec instrumentum quod ab illa dirigitur.

Secundo: conclusione 20. ostensum est, phantasiam per se non esse activam, ergo non potest agere in corpus externum: quia si simpliciter non sit activa, & per se nec in proprium, nec in alienum internum agere possit, multo minus poterit agere in externum, quod ab anima illa cujus ipsa est potentia est remotum; nec ad ipsam ordinem, dependentiam aut sympathiam ullam habet, sicut habet proprium aut internum.

Tertio: conclusione 21. & 22. specialiter est probatum, phantasiam nec proprium corpus, nec alienum internum posse localiter movere, ergo multo minus externum: quod enim non potest minus, nec majus poterit: plus autem est agere in remotum, quam in propinquum. Et conclusione 24. est ostensum, phantasiam per se non posse alterare. Si simpliciter per se non potest alterare, ergo non potest alterare corpus externum. Quapropter si nec loco movere nec alterare externum corpus potest, ergo nullam in illud per se habet activitatem. Ergo non potest illud fascinare, nec ullam sanitatem aut ægritudinem in illud inducere.

Dictum equidem est conclusione 27. & 34. phantasiam per accidens posse alterare, vel inducendo animi passiones, & sic mutat cor-

tat corpus proprium; vel dirigendo facultatem conformatricem, & sic immutat corpus alienum internum, nempe fœtum: sed neutro modo potest immutare corpus externum: ergo nulla ratione immutat illud. Subsumptum probatur. Non enim potest immutare inducendo animi passiones: quia, quod phantasia alteret proprium corpus mediantibus animi passionibus, est propterea quod phantasia & appetitiva sint radicatæ in eadem anima, & propter illam identitatem radicis, phantasia excitet appetitivam: at phantasia unius & appetitiva alterius hominis non sunt in eadem anima radicatæ, sed in animabus numero distinctis: ergo imaginatio unius non potest excitare animi passiones alterius. Et sic docet experientia, quod mea imaginatio non faciat lætari aut timere alium. Cujus ratio est, quia radix meæ phantasiæ, & radix appetitivæ alterius, numero sunt diversæ; unde una non potest alteram à se remotam movere: intellige, ut vera causa physica, per activam scilicet alterius potentiæ motionem. Nam ut causa moralis, promittendo, instigando, perterrefaciendo, potest. Non potest etiam externum corpus immutare conformationem dirigendo: primo, quia in corpore alieno externo jam conformatrix perfecit opus suum, & cessavit operari, sic amplius non potest dirigi: secundo, quia corpus externum non

est

est conjunctum per venarum & sanguinis continuitatem corpori imaginantis, sicut est corpus fœtus; & ideo ejus directio, seu per species seu alterius qualitatis impressionem, non potest ei communicari, sicuti fœtui communicatur.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad authoritatem Avicennæ & aliorum, eos plus virium imaginationi tribuisse, quam revera ei competat.

Ad argumentum ejus dico; intelligentias non regere pro nutu & imperio res corporales, sicut ipse putavit, nec formas inducere in materiam, sed solummodo habere potestatem super eis quoad motum localem, ut bene docuit D. Thomas 1. part. quæst. 110. art. 2. & 3. & communiter omnes Scholastici tenent. Et etsi eas ita regerent, non ideo sequitur, quod propterea etiam & anima id posset: quandoquidem intelligentiæ sunt superioris ordinis, & efficaciores in agendo quam sit anima, & sunt separatæ à materia, & agunt per solum intellectum & voluntatem; anima vero est alligata corpori & ad illud determinata, & agit mediantibus potentiis materialibus, quæ extra corpus proprium nihil possunt.

Ad argumentum ab Opticis & Galeno desumptum, respondeo; visionem non fieri per spirituum aut alicujus substantiæ corporeæ

poreæ emissionem, ut est communis omnium fere medicorum & philosophorum sententia; ideo nullos spiritus ex oculis in res externas posse vibrari. Exeunt quidem ex oculis spiritus & vapores, sicut ex aliis omnibus corporis partibus; sed tantum exhalando, non autem radialiter, seu recta linea in res externas & lõge remotas, has illasve, pro imaginationis nostræ arbitrio, vibrati aut directi: & ideo non agunt in rem aliquam determinate; sed quas exhalando forte attigerint, eas contagio quodam, fortuito tantum, lædunt & afficiunt. Et hac ratione qui lippos aliorum de prope adspiciunt oculos, mero contagio aliquando eandem lippitudinem contrahunt: non quod vel lippientes oculi vibrent spiritum venenatum ad oculos intuentis, vel oculi intuentis vibrent spiritus in oculos ægros, qui in oculos unde exierunt redeuntes eos hausta labe inficiant; sed quod vapores ex oculis lippientibus egressi hæreant in circuitu eorundem, & sic oculos inspicientis propinquos attingant & inficiant.

Ad authoritatem D. Thomæ dico; eam de simplici contagio & evaporatione spirituum & vaporum, & non de recta quadam seu radiali in rem determinatam, pro nutu imaginationis, ejaculatione, esse intelligendam.

Ad exemplum de catoblepa & muliere men-

menstruata respondeo; eas lædere & inficere res vicinas non radio oculorum, sed sola jam dicta venena orum vaporum exhalatione. Restat modo videre

QUÆSTIO XIII.

Quid possit agere in corpus alienum propinquum, seu fœtum.

AN possit ei notas inurere, figuram ejus mutare, & tam varia circa eum facere, quam de ea homines prædicant.

Et videtur certe quod non: primo, quia divinus Aristoteles, qui nihil circa generationem & naturas animalium intactum reliquit, nullam uspiam facit ejus mentionem; quod sine dubio facturus fuisset, & facere debuisset, si eam tantam vim in generatione habere credidisset. Etenim lib. 4. cap. 3. etiamsi late & anxie inquirat causam similitudinis fœtuum, & cap. 4. inquirat causas monstrorum, tamen ne semel phantasiæ facit mentionem: nec credo eum uspiam in omnibus operibus aliquid de vi imaginationis scribere, præterquam quod 10. probl. probl. 12. quærens cur proles aliorum animantium magis sint similes suis parentibus quam hominum, dubitanter respondeat; an id forte sit propter varietatem imaginationis, quam habent homines in congressu magis quam alia animalia? quod forte magis ex vul-

ex vulgi, quam ex propria opinione, ibi dicit.

Secundo; quia nonnulli magni viri, ut Ioannes Costæus in lib. disquisitionum physiologicarum, Vayrus in lib. de fascino, Thomas Erastus aliquo loco, credunt eam nullam in mutando fœtu vim habere; sed quæ in eo aliquando præter ordinem naturæ eveniunt, à fortuitis humorum incursibus, ac aliis causis, provenire.

Tertio; quia si imaginatio tantam vim haberet in fœtu immutando, videtur quod fere nunquam non fœtus deberent prodire signati. Quæ enim mulier est, quæ tempore novem mensium, quo fœtum in utero gestat, non habeat frequenter intensas aliquas de variis rebus imaginationes? quæ est, quæ non sæpe terreatur, multa desideret, quæ non potest habere? &c. At rarum est tales fœtus prodire. Ergo.

Quarto; si fœtus ab imaginatione signaretur, illa imaginatio deberet esse intensa, & desiderium & timor quæ illam comitantur deberent semper esse fortissima & bene notabilia: at scribit Argent. com. 2. in art. parvam, & experientia docet, multas mulieres produxisse proles cum ejusmodi signaturis, quæ tamen fassæ sunt se non habuisse magnam de rebus, quarum notam proles referebant, cogitationem. Imo sæpe mulieres, postquam peperierunt proles ita signatas, viden-

dentes ſignaturas earum, tum primum apud ſe revolvere & cogitare incipiunt, an de talibus rebus, quales in prolibus expreſſæ videntur, non habuerint cogitationem, deſiderium, aut timorem. Ergo phantaſia non eſt cauſa earum.

Quinto; authores, præcipue antiqui, qui hanc vim phantaſiæ adſcripſerunt, dixerunt illam imaginationem præcipue talem vim habere, quæ contingit tempore coitus: at tempore coitus imaginatio non eſt fortis, quia ſpiritus & calor alio ſunt retracti; unde dicebat Hippocrates coitum eſſe quaſi parvam epilepſiam: ergo illa non videtur poſſe magnam vim habere. Si illa non habet magnam vim, ergo multo minorem aut nullam habebit illa quæ contingit tempore prægnationis: ergo nulla.

Sexto; multa adſcribuntur imaginationi, quæ videntur fabuloſa, vel quæ videtur impoſſibile eſſe à phantaſia cauſari: ergo ſuſpicandum eſt reliqua omnia, quæ ei adſcribuntur, vel etiam eſſe fabuloſa, & opiniones & figmenta mulierculorum, vel aliam habere cauſam ab imaginatione diverſam

Septimo; multæ ſæpe apparent notæ in fœtu quæ non ſunt imaginatæ, & non cauſantur à prævia ulla imaginatione, ſed ab alia cauſa: ſicuti ergo tales fiunt à propriis cauſis, ita videtur quod & reliquæ

quæ omnes ab eis fiant, & non ab imaginatione.

Octavo; fœtus figura, color, magnitudo, ſpecies, pendent à facultate conformatrice, & facultas conformatrix eſt cauſa efficiens earum, & nulla alia potentia animæ poteſt quippiam in fœtu conformare, aut ejus figuram, colorem, &c. effective facere, quam facultas conformatrix; illa enim bene operans facit figuram, ſitum, colorem, numerum, quantitatem partium, decentia; male operans, indecentia. Itaque ipſa eſt cauſa vere efficiens, & proxima ac ſynectica, omnium accidentium fœtus, & nulla alia potentia: & ideo nulla poteſt circa fœtum fieri variatio, niſi conformatrix varietur. Ergo ſi phantaſia mutaret fœtus figuram & conformationem, ipſa prius deberet mutare conformatricem. At non poteſt mutare conformatricem: quia conformatrix eſt potentia vegetativa, phantaſia eſt potentia ſenſitiva: potentiæ ſenſitivæ non regunt, gubernant aut immutant vegetativas, quia hæ non ſubſunt imperio earum. Ergo phantaſia nullam poteſt in fœtu facere permutationem. Sit

Concluſio XL. Phantaſia habet vim fœtum immutandi: ſeu, propter operationem phantaſiæ contingit ſæpe fœtum permutari.

Hæc concluſio eſt communis, & conformis

mis opinioni & dictis omnium hominum, qui mirabilem in mutando efficaciam ei adscribunt. Et probatur authoritatibus infinitis & variis exemplis, quibus omnibus refragari temerarium videtur. Ponam imprimis authoritates omnes; tum exempla, quæ licuit invenire, ab authoribus memoriæ tradita, ut eis visis possit unusquisque videre quãtum roboris aut apparentiæ habeant, & quanta vis & efficacia imaginationi sit adscribenda.

Imprimis itaque divinus Hip. lib. de superfœtatione ejus vim agnovit, dicens desiderium mulieris prægnantis posse fœtum signare. (Si qua, inquit, mulier terram edere concupiscat, aut carbones, eademque edat, in capite pueri ejus signa à talibus apparebunt.) Hanc signandi vim Hippocratem imaginationi tribuisse etiam colligi potest ex D. Hieronymo, in traditionibus Hebraicis super Genesin; ubi dicit Hippocratem semel liberasse unam mulierem ab infamia & suspicione adulterii per hoc, quod in ejus cubiculo pependisset pictura fœtui similis, in quam ipsa intentam habuerat cogitationẽ.

Eandem vim etiam imaginationi tribuit Soranus antiquissimus medicus, teste D. Augustino contra Iulianum cap. 9. Ibi enim scribit D. Augustinus, Soranum memoriæ tradidisse, quod, cum Dionysius tyrannus, utpote deformis exsistens, nollet sibi similem

milem prolem generare, jusserit pulchram picturam suspendi ante oculos uxoris; ut ipsa illius intuitu prolem picturæ, id est pulchram, non autem patri similem, seu deformem, produceret.

Galenus lib. de theriaca ad Pisionem cap. 14. dicit, etiam imaginationem & aspectum pulchræ picturæ posse fœtum mutare, eumque rei imaginatæ similem facere.

Plutarchus 5. de plac. cap. 12. scribit Empedoclem dixisse, visu sub conceptum oblato infantem formari, & rebus visis & imaginatis similem evadere. Quinimo sæpe mulieres statuas aliquas adamasse, & proles quas ex aliis conceperant illis similes evasisse quod Empedoclem sensisse Gal. lib. de historia Philosophica sibi adscripto cap. 117. etiam refert.

Aristot. sect. 10. probl. 12. quærens, cur proles cæterorum animantium magis similes sint suis parentibus, quam hominum, respondet; An, inquit, quia homines magis vago & vario in coitu sunt animo quam illa? prout autem mater in conceptu fuerit, fœtus variatur?

Plinius lib. 7. hist. naturalis cap. 12. dicit, cogitationes & haustas sub conceptu imagines effingere similitudinem fœtus: & varietatem formarum in genere humano, magis quam in cæteris animantibus, à sola ingeniorum varietate, & cogita-

gitationum tempore conceptus celeritate pendere.

Eodem modo Cicero, 1. Quæstionum Tusculanarum, dicit, majorem similitudinem prolium in bestiis quam hominibus ex hac solum causa pendere, quod illæ rationis sint expertes.

Avicenna Fen. 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 14. Est, inquit, & cum corpus patitur propter affectiones animales, quales sunt imaginationes. Plurimum enim, inquit, imprimunt res naturales: quemadmodum accidit ut puer ei similetur, cujus forma imaginata fuerit in hora coitus viri & mulieris; & ut sit ejus color propinquus colori ejus quem viderunt cum fit casus spermatis. Et istæ, inquit, sunt res, quas homines credere abhorrent, qui non scrutantur dispositiones: illi vero qui sapientiam diligunt, non negant eas. Et 3. canonis Fen. 21. tractat. 1. cap. 2. dicit, aliquos sapientes dixisse, & in eo quidem non errasse, quod causa assimilationis fœtus sit dispositio conceptionis in mente mulieris aut viri firmiter exemplificata.

Heliodorus, antiquissimus scriptor, postquam tradidisset historiam Caricleæ, quæ alba ex Æthiopibus parentibus nata erat, eo quod Regina, mater ejus, picturam quandam semper intuita fuisset, in qua Andromeda alba facie depicta erat, subjungit, Gymnosophistas, qui erant illius regionis sum-

mi ſapientes, id factu poſſibile eſſe judicaviſſe.

Legitur 30. Geneſeos ſanctum Patriarcham Iacob, ut acquireret oves diverſi coloris, cepiſſe virgas virides & populeas & amygdalinas, & eas hinc inde decorticaſſe, ut eſſent variegati coloris, & poſuiſſe in canalibus aquarum, ad quos mane oves venturæ erant potatum, ut ipſæ poſtmodum in congreſſu, imaginatione diverſitatis illorum colorum, fœtus producerent variegatos.

Cujus facti mentionem faciens D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. c. 12. & 12. de Civit. Dei c. 25. illam immutandi fœtus vim imaginationi quoque concedit. Quinimo lib. 18. cap. 5. ejuſdem operis rationem dans, quomodo factum fuerit, quod apud Ægyptios nunquam deficeret bos quidam candidis maculis diſtinctus, quem Apim appellabant, & pro Deo colebant; putat id factum fuiſſe, quod dæmon coëuntis alicujus vaccæ imaginationem ſimilium ſpecierum oblatione ſic immutaverit, ut poſtea ſimilem ſemper fœtum produxerit.

D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis ſuper Geneſim, dicit, hanc in conceptu fœminarum eſſe naturam, ut fœtum imaginatæ rei ſimilem producere queant.

Et ſcribit Cœlius Rhodiginus lib. 20. antiquarum lectionum cap. 15. Fabium Quintilia-

tilianum mulierem quandam à suspicione adulterii liberasse, quæ nigram prolem pepererat per hoc, quod in cubiculo pictura nigri Æthiopis pependisset. Quod de eodem etiam D. Hieronymus, ni fallor, loco supra citato, & alii de Alcibiade referunt.

Hesiodus, antiquissimus poëta, lib. 2. de Operibus & diebus, præcipit, ne quis à funere rediens liberis operam det, ne imaginatio rei tristis in proles transeat, easque permutet, his verbis,

Μηδ' ἀπὸ δυσφήμοιο τάφου ἀπονοστήσαντα
Σπερμαίνειν γενεὴν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός.

Isidorus lib. 12. originum cap. 1. dicit imaginationem animalium posse fœtum rei visæ similem reddere. Etenim, inquit, anima in usu venereo formas extrinsecas intus transmittit, eorumque satiata typis, rapit species eorum in propriam qualitatem.

Hanc vim immutandi fœtum, præter jam recitatos, imaginationi etiam tribuunt omnes qui sequuntur; Albertus Magnus lib. 12. tract. 1. cap. 3. Marsilius Ficinus lib. 13. Theolog. Platon. cap. 1. Tartaretus 2. animæ, articulo penultimo, Michaël Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. Cardanus lib. 12. de Subtilitate, Pererius super Genesim cap. 30. disp. 3. Toletus super 2. Physic. quæst. 13. Foroliviensis 3. techn. quæst. 11. concl. 2. Thomas à Vega comm. in art.

partvæ sect. 6 Fernel. 7. Physiolog. cap. 12. Conciliator diff. 135. resp. ad 2. Scaliger exercit. 59. sect. 1. Valesius lib. 1. Sacræ Philosophiæ c. 11. Peramatus lib. de hominis procreatione cap. 17. Citadinus lib. 3. cap. 15. Andreas Laurentius lib. 8. controv. anatom. quæst. 10. Archangel. Picolom. anatom. prælect. lect. 1. Hercules Saxonia 4. Panthei cap. 30. Argent. com. 2. super artem parvam fol. 159. Baptista Sylvat. lib. histor. Medic. historia 6. Rodericus à Castro tom. 1. de morbis mulier. lib. 3. cap. 9. Bonamicus lib. 4. de alim. cap. 38. Levinus Lemnius lib. 1. de complex. cap. 6. Franciscus Picolomineus in lib. Physic. disput. de facultate motiva cap. 23. Martinus Delrio in Disquis. Magicis quæst. 3. cap. 3. Andreas Cataneus lib. de intellect. & causis mirabilium effectuum, Pomponatius lib. de incantationibus, Langius, VVyerus, Gemma, Paræus, VVeynrichius, Codronchus, Libavius, Iason Pratensis; & multi alii, quorum nomina non recordor, & loca quærere piget.

Huc accedit commune adagium, filium ex adultera excusare matrem à culpa: quo significatur filios ex adulterio natos plerumque magis similes esse marito adulteræ, quã vero genitori; eo quod mater continuo de marito cogitans, metuendo ne ab eo deprehendatur, vel vultus suæ prolis prodat verum genitorem, illa imaginatione reddat eam ma-

magis similem marito, quam vero genitori.

Probatur porro etiam experientia & exemplis. Et 1. Galeni loco citato; qui scribit quendam virum divitem, cum deformis esset, jussisse uxori, ut tempore conceptionis inspiceret pulchram picturam: & exinde contigisse eam postmodum pulchram prolem picturæ similem edere.

2. Plutarchi etiam loco citato; qui dicit mulieres aliquas statuas adamasse, & postmodum edidisse fœtus illis similes.

3. Heliodori jam etiam mentionati, qui lib. 1. historiæ suæ Æthiopicæ scribit, reginam Persinam Æthiopem ex marito Hydaspe pariter Æthiope peperisse albam prolem dictam Caricleam, ex eo quod intuita fuisset picturam quandam, in qua Perseus & Andromeda alba facie erant depicti.

4. Præter illa sunt alia adhuc multa exempla. Scribit Iustinus lib. 15. hist. Laodicem uxorem cujusdam Antiochi, clari inter Philippi duces viri, per quietem visam sibi fuisse ex Apolline concepisse, & pro mercede concubitus annulum ab Apolline recepisse, in cujus gemma anchora insulpta esset: & postea filium peperisse Seleucum, notam anchoræ in femore gerentem.

5. Marcus Damascenus, ut testatur Petrus Messias libro variarum lect. c. 7. scribit in confiniis Pisæ, in loco quodam Peta sancta appellato, natam fuisse puellam totam

hirſutam, ex eo quod mater tempore conceptus imaginem D. Ioannis ad lectum pendentem intuita fuiſſet: quam filiam Michael de Montagna ſcribit Carolo Regi Bohemiæ fuiſſe præſentatam.

6. Scribit D. Hieronymus in quæſtionibus ſuper Geneſim, loco ſupra citato, mulierem quandam nigrum fœtum peperiſſe, eo quod ſortem de Æthiope imaginationem habuiſſet.

7. Guilielmus Paradinus in hiſtoria Sabaudiæ in Epilogo ad caput 46. ſcribit, neptim Nicolai tertii Pontificis, qui erat de familia Vrſinorum, peperiſſe prolem totam villoſam, unguis armatam inſtar urſi; eo quod in imagines urſorum in ædibus illius familiæ depictorum intuita fuiſſet: propter quod Pontifex exinde juſſit omnes imagines urſorum in urbe Roma exſiſtentes aboleri. Lycoſthenes, in lib. de prodigiis, & Iaſon Pratenſis, dicunt id anno primo Pontificatus Martini quarti accidiſſe.

8. Ludovicus Vives, in comm. ad c. 25. lib. 15. Auguſtini de Civitate Dei, recitat Sylvæducis in Brabantia virum quendam, qui dæmonem publicis ludis exhibuerat, domum reverſum iiſdem adhuc ſcenicis veſtibus indutum cum uxore rem habere voluiſſe, dicendo, quod ex ea diabolum progignere vellet: ipſam autem deterritam poſtea fœtum figura diabolica prædituum produxiſſe.

9. Per-

9. Peramatus lib. de hominis procreatione cap. 17. agens de vi imaginationis in fœtu mutando, narrat historiam cujusdam monstri valde admirabilem, nati in India occidentali in oppido S. Laurentii anno 1573. mensis Aprilis die 6. delatam ad ducem de Medina Sidonia, & variis fide dignis testimoniis comprobatam; quod habuit oculos, os, aures, nares valde deformi & horribili figura prædita; in fronte duo cornua instar cornuum capræ primum enascentium; pilos oblongos; in ventre cingulum carneum duplicatum, cum frusto carneo ex eo dependente instar peræ; in sinistra manu sonalium seu campanulam carneam, similem illis quibus Indi ad tripudia utuntur; in cruribus ocreas carneas albas reduplicatas; in dextro crure quasi cingulum aut compedem cruri circumductum; totum figura valde horribili, similem diabolo humana specie tripudianti; natum (ut insinuat) ex eo, quod mater territa fuisset à diabolo, quem (ut ibi crebriora hominum cum dæmonibus sunt commercia) illa forma tripudiis viderat commixtum.

10. Philippus Meurs Protonotarius Apostolicus, & Lovanii in æde S. Petri canonicus, vir tam senex ut tria viderit secula, mihi & infinitis aliis narravit, se habuisse sororem, toto reliquo corpore perfectã, quæ nullũ habebat caput, sed loco capitis collo super-

positam concham testaceam, ad similitudinem mytuli constantem duabus valvis, quæ aperiebantur & claudebantur, per quas cibum cochleari ministratum sumebat: quam dicebat ita natam esse, ex eo quod matrejus tempore gestationis uteri musculos marinos, quos in foro viderat venales, nimis intense desiderasset, & potiri non potuisset. Illud monstrum dicebat pervenisse usque ad annum undecimum ætatis, & mortuum esse ex eo, quod semel præ iracundia cochlear quo cibus ministrabatur nimis fortiter præmordisset, unde contingebat illas valvas testaceas frangi; quibus fractis ipsum moriebatur. Ejus imaginem habebat pluries in cubiculo suo depictam, quam totus mundus vidit. Historia ista est Lovanii famosa, & nemini non nota.

11. Scribit Sebastianus Munsterus, lib. 3. suæ Cosmographiæ, prope Moguntiam suo tempore accidisse, cum duæ mulieres ex oppositio sibi in platea confabularentur, aliam ex improviso venientem à tergo capita utriusque collisisse; & alteram earum, quæ prægnans erat, duas inde filias peperisse, capitibus oppositis, id est, frontibus usque ad nasum cohærentes, quæ sic decem annis continuis conjunctæ vixerunt.

12. VVyerus, lib. 4. de præstigiis dæmonum cap. 18. scribit, quendam ægre ferentem uxorem suam uterum gestare, accenso animo

nimò ei dixiſſe, ſe credere quod diabolum in ventre geſtaret: & ipſam poſtmodum prolem peperiſſe cornutam in forma diaboli ac ſatyri, multis deformitatibus præditam.

13. Scribit Cornelius Gemma, lib. 1. ſuæ Coſmotriticæ cap. 6. quandam mulierem Lovanii inter confabulandum, cum forte mentio fieret de ejus graviditate, dixiſſe ſe tempus partus computare in feſtum trium Regum: convivas ei precatos eſſe, ut tres Reges in lucem proferret: ipſam hilari animo reſpondiſſe, quod fauſtum felixque ſit. Et tempore elapſo tres filios peperiſſe; quorum unus erat nigriore & bituminoſo colore.

14. Scribit idem Lugdunenſi cuidam mulieri gravidæ accidiſſe, quod cum jam tempus partus inſtaret, & maritus ſtricto gladio ſemel eam inſequeretur, & ejus fronti minaretur, ipſa poſtea pepererit prolem, magnum in fronte vulnus gerentem; ex quo ita abunde mox ſanguis fluxit, ut ſiſti nequierit, & obierit.

15. Levinus Lemnius, lib. 1. de occultis naturæ miraculis cap. 4. habet, quod cum nebulo quidam ex improviſo cuidam gravidæ picturam pueri permagno capite præditi oſtendiſſet, ipſa attonita pepererit prolem prægrandi ac fungoſo ac monſtroſo capite præditam.

16. Scribit Langius, tom. 2. Epist. epistola 12. mulierem quandam appetitum acquisiviſſe mordendi humeros cujusdam pistoris, quem nudum videbat: maritum induxiſſe pretio pistorem ut pateretur: ipsam bis momordiſſe; tertium morsum pistorem ferre noluiſſe: tandem enixam esse tres proles, quarum duæ vivæ, tertia mortua erat, propter tertium morsum ei denegatum.

17. Thomas Erastus, lib. de occultis pharmacorum proprietatibus cap. 34. refert heroïnam quandam mirabili antipathia à felibus solitam perterreri, & sibi dixiſſe causam ejus esse, quod mater ejus cum ea gravida esset, semel à fele prope eam inopinato decidente perterrita fuisset; etsi antea tamen feles non odisset.

18. Scribit Balduinus Ronssæus, libello de primordiis hominis cap. 10. Gaudæ in Hollandia mulierem quandam videntem greges gallinarum Indicarum sic consternatâ fuisse, ut postea pepererit fœtum habentem faciem multis excrescentiis carnosis multiformis coloris, galli Indici instar, deturpatam.

19. Paræus, lib. 24. cap. 7. suæ Chirurgiæ, scribit, anno Domini 1517. in Bosci regis parœcia in Byera sylva, via ad fontem Bellæ aquæ, natum fuisse monstrum facie canali; ex eo quod mater, ipsa nocte qua cum marito rem habebat, ranam manibus contra febrem alligatam habuisset.

20. Ja-

20. Iacobus Horstius, libello de aureo dente, scribit, se non tantum colores & maculas, sed carnea fragra & cerasa in dorso, & genis, virtute imaginationis producta, sæpe vidisse.

21. Refert Schenckius in libris observationum rararum, quendam Iacobum Surerum doctorem medicum hanc sibi observationem misisse: nimirum, ejus uxori contigisse, quod ob frustum carnis ei à lanione in macello denegatum, ita iracunda facta fuerit, ut sanguis ei è naribus effluxerit; & cum eum defluentem perciperet, & à labris abstergeret, enixa tandem fuerit fœtum supremo labro carentem.

22. Retulit mihi vir quidam gravis & fide dignus pro certa historia, mulieri quidam gravidæ juxta murum ambulanti lacertam in pectus insiliisse; inde ipsam graviter consternatam paucis post diebus peperisse fœtum in pectore carneam lacertam habentem, quæ caput in carnem pueri infixum & occultatum, reliquam corporis partem foris haberet.

23. Est Antverpiæ quædam honesta matrona, quæ & vultum, & externas gesticulationes simiæ similes habet, ex eo, ut putatur, quod mater ejus gravida simia quadam, quam domi habebat, valde delectata fuisset, & frequenter cū ea lusisset. Alia exempla plurima vulgo audivi narrari, quę quia nec fide-

fide dignos authores, nec probatam habent veritatem, hic non pono.

24. Plurimi rubras in facie maculas habent, qui eas habere creduntur, ex eo quod matribus gravidis in mensa scyphi vino rubro pleni inopinato in gremium sint effusi. Multi homines videntur magnas maculas pilis consitas in facie & reliquo corpore habentes, qui eas habere dicuntur, quod matres gravidæ ex improviso juxta eas decurrentibus, aut supra caput incidentibus muribus, aut gliribus deterritæ fuerint.

25. Alii plurimas habent maculas rotundas fragi aut cerasi similitudinem habentes; qui eas habere putantur, quod matres gravidæ cerasorum aut fragorum desiderio affectæ fuerint, quibus potiri non potuerunt. Porro non in hominibus tantum, sed etiam in brutis animantibus contingit fœtus illis rebus adsimilari, quæ tempore coitus fuerunt in parentum imaginatione.

26. Exemplum primum est de patriarcha Iacob 30. Geneseos supra commemoratum, qui mutando imaginationem ovium, fecit eas producere fœtus variegatos.

27. Scribit Avicenna, & Albertus Magnus 9. de animalibus, semel pullum prodiisse cervice accipitrina, eo quod gallina inter concipiendum valde territa fuisset ab accipitre supervolante.

28. Scri-

28. Scribunt illi qui de agricultura agunt, pavones evadere albos, si cum fœmina ovis incumbat, linteis albis contegatur. Oppianus lib. de venatione dicit, hac eadem arte procurari posse columbas variis coloribus præditas.

- - Columbarum pullos hac arte figurat.
Stragula flammeolis oculis, rubrosque tapetes,
Et vestes ostro perfusas objicit auceps:
Sicque oculos pascens animos eludit amantes,
Et pullos ædit rubeo discrimine mixto.

29. Scribit Isidorus, lib. 12. Originum cap. 1. & ex eo Cœlius Rhodiginus cap. 20. lib. 15. in Hispania solere equisones equos immutare, & generosos sibi procurare, objiciendo oculis concipientium equarum equos valde generosos, quorum imaginatione ipsæ similes producunt: & columbarũ dilectores curare in columbariis depingi pulcherrimas columbas, ut fœmeliæ, earum intuitu, possint similes generare. Quod etiam Oppianus lib. præfato his verbis testatur.

Inque utero matrus pulli variare colores
Possunt, (humanæ quanta est solertia mentis,
Quales exspectant pretioso corpore pullos
Efficere?) & tumida quando gestatur in alvo,
Saucia dum mater violento flagrat amore,
Et formosus eam præsto admissarius ardet.

Ma-

Magnanimum ſiquidem diſcriminat ante marítum,
Et tergum variis pigmentis pingit equiſo:
In thalamos tandem adducunt ſplendore ſuperbum.
Tum mater gignit maculoſum corpore pullum,
Concipiens oculis objectos mille colores.

Imo ſcribit idem Oppianus etiam homines ſolere hoc artificio uti ad formoſas proles producendas.

Illa ſolent etiam ſæpe uſurpare Lacones;
Dum uxores cernunt utero catulive tumenti,
Eximie pictas tabulas & ſplendida ponunt,
&c.
Dum tabulas inſtrant oculis formasque venuſtas,
Attonitæ pariunt formoſos ere Lacænæ.

Et ſcribit etiam Iſidorus, propterea vetari mulieribus gravidis ne inſpiciant deformes animalium picturas, ne earundem intuitu affecta imaginatione conſimiles proles progignant.

30. Scribit Michael Medina, loco ſupra citato, gallinam non pullum, ſed ſerpentem productaram eſſe, ſi dum ovis incubat, incluſus cancellis aliquibus ſerpens ejus oculis continuo objiciatur.

31. Alii ſcribunt gallinas producturas eſſe pullos diverſi coloris, ſi ova earum diverſis coloribus depingantur.

32. Scribit Iulius Scaliger, exercitatione

in

in Cardanum 59. sect. 1. causam cur in Scythia, Norvegia, & Allobrogum montibus, & aliis nivosis locis, vultures, aquilæ, vulpes, perdices, ursi & corvi albi inveniantur, non aliam esse, quam, quod aspectus nivium imbuat phantasiam speciebus illius albedinis quæ in ipsis postea fœtibus exprimatur.

His authoritatibus & exemplis, quæ omnia negare nimis temerarium foret, videtur manifestum, phantasiam fœtum immutare. Non attuli equidem omnia hæc exempla, quod credam omnia esse vera; puto enim aliqua esse falsa vel simpliciter, vel saltem secundum quid: sed quando attuli aliqua, volui omnia simul congerere quæ apud authores licuit invenire, sive falsa sint sive vera, ut ea postea exactius examinarem. Ad conclusionis autem probationem sufficit multa vera esse, etsi non omnia.

Quapropter ad argumenta in contrarium respondeo.

Ad primum; Aristotelem non potuisse ubique omnia scribere, & ideo non sequi, non sic esse, quia Aristoteles non scripsit. Sufficit, quod manifeste scripserit in problematibus: etsi ibi respondeat interrogative, non ideo tamen dubitat; quia ita respondet in omnibus problematibus.

Ad secundum respondeo; Parum esse quod

quod illa ita sentiant : cum decuplo plures nunc sint adducti contrarium sentientes.

Ad tertium patebit responsio infra concluſ. 49.

Ad quintum ; Non sic calorem & spiritus esse retractos, aut imaginationem distractam, quin possit aliquando circa res externas fortissime versari. Infra autem concluſione 54. dicemus magis tempore gravidationis, quam conceptus, signaturas evenire.

Ad sextum ; Etsi aliqua sint fabulosa & impossibilia, non ideo esse omnia. Infra vero concluſione 55. ostendemus, quænam vera sint, quæ falsa.

Ad septimum ; Notas fieri etiam ab aliis causis citra imaginationem ; sed non ideo sequi, nullas ab imaginatione fieri.

Ad octavum respondeo, negando subsumptum. Infra autem concluſione 45. & 46. ostendetur, quomodo phantasia possit conformatricem permutare. Restat modo videre

QUÆSTIO XIV.

Quomodo & qua ratione fœtum immutet.

VIdetur equidem id arduum esse, & supra captum ingenii humani. Nihilominus tamen debemus experiri, an aliqua ratione illum

illum modum possimus investigare. Quapropter, quid de ea magni viri, tum medici tum philosophi, senserint, videamus, & inde opinionem nostram subjungamus.

Galenus, lib. de Theriaca ad Pisonem, referens quandam visa pulchra imagine tempore concubitus similem prolem produxisse, subjungit hæc verba; visu, inquit, imaginem transmittente. Quibus verbis indicat hoc fieri, quatenus species imaginatione perceptæ, mediantibus sanguine, credo, & spiritibus, versus fœtum transmittuntur. Quomodo vero eo delatæ sint, causa, ut simile aliquid ipsis generetur, ulterius non exprimit.

Plinius lib. 7. cap. 12. habet hæc verba: Et similitudinum in mente reputatio est, & multa fortuita vi pollent hausta imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam utriusliber animum subito transvolans effingere similitudinem aut miscere existimatur. Quibus verbis videtur indicare, ipsas species habere vim effingendi simile realiter ei, quod in phantasia intentionaliter est cogitatum.

Avicenna, 5. de animalibus, dicit imaginationem spiritibus cerebri species imprimere; spiritus illos misceri sanguini, qui fit alimentum fœtus; illum tum speciem fœtui imprimere. Ubi videtur velle, species imaginatione perceptas, mediantibus spiritibus & sanguine, deferri ad fœtum, & ibi effe-

effective tale quid facere, quale est id cujus ipsæ sunt species.

Isidorus lib. 12. cap. 1. modum exprimit his verbis: Etenim, inquit, anima in usu venereo formas extrinsecas intus transmittit, eorumque satiata typis, rapit species eorum in propriam qualitatem. Quibus verbis idem dicere videtur: species, scilicet, ad uterum delatas effective producere similitudinem in fœtu.

D. Augustinus videtur eodem modo velle similitudinem fieri. Nam lib. contra Iulianum cap. 9. loquens de ovibus Iacobi, dicit, quod rerum corporalium qualitates in res incorporales transeant, ut, scilicet, in animam. Sicut autem, inquit, de corpore ad spiritum, ita vicissim transeunt de spiritu ad corpus. Nam colores, inquit, virgarum, quas variavit Iacob, afficiendo transierunt in animas pecudum matrum; atque inde rursus eadem affectione transeundo, apparuerunt in corporibus filiorum. Quæ verba videntur indicare, accidentia, quæ sunt in rebus corporalibus realiter, transire in animam intentionaliter, & vicissim redire ut venerunt, id est, ab anima in qua sunt intentionaliter, transire in corpora realiter; & sic species intentionales phantasia perceptas ad fœtum delatas producere in ipso reales qualitates. Idem videtur velle lib. 12. de Civit. Dei cap. 25. ubi dicit, quod anima sic vel sic affecta

ſta prægnantis poſſit aliquibus velut qualitatibus fœtum induere. Et 18. ejuſdem lib. cap. 5. reddens rationem, quomodo per imaginationem vaccæ bos aliquis induſtria dæmonum cum certis maculis ſemper generaretur, qui Apis vocabatur, quemque Ægyptii pro Deo colebant, dicit id factum fuiſſe, quatenus libido vaccæ attraheret quod in fœtu corporaliter appareret. Quibus verbis, ut inquit Valeſ. lib. de ſacra Philoſoph. cap. 11. nihil aliud Auguſtinus innuit, quam vaccam in congreſſu ſpiritaliter recipere formam ſeu ſpeciem, quæ in fœtu poſtea corporaliter appareat. Quod non aliter, inquit, fieri poteſt, quam quatenus ſpecies realem in fœtu producunt qualitatem. Hanc opinionem D. Auguſtino etiam adſcribunt Conimbricenſ. 1. de generat. & corrupt. cap. 4. quæſtione 30. articulo 2. qui propterea, ejus authoritate, ut inquiunt, moti, eandem ex parte ſententiam tenent.

Marſilius Ficinus lib. 13. de immortalitate animæ cap. 1. dicit eodem modo phantaſiam fœtum ſignare, vibratione, inquit, ſpiritus per nervos; quatenus dum vehemens cogitatio ſpiritus vehementer movet, formam, quam continua imaginatione revolvit, fœtui imprimit.

Citadinus lib. 3. ſuper artem parvam cap. 5. eodem modo dicit phantaſiam alterare,

re, quatenus ſpecies per eam perceptæ ſanguine communicantur, & in ſanguine producunt talem realem qualitatem, qualem ipſæ repræſentant. Ex quo ſanguine ad uterum delato cum fœtus nutritur, in ipſo fœtu color ſeu qualitas ſanguini impreſſa remanet.

Porro & Iacobus de Forlivio lib. 3. art. parv. quæſt. 11. concluſ. 4. Tartaretus lib. de anima articulo penultimo, Pomponatius lib. de incantationibus, Conciliator differ. 135. Thomas à Vega ad cap. 49. artis parvæ, Valeſius lib. de ſacra Philoſophia c. 11. omnes eandem ſententiam ſequuntur; nempe phantaſiam fœtum permutare, quatenus ſpecies phantaſia perceptæ motu ſpirituum aut ſanguinis transferuntur ad fœtum, quæ ibi talem producunt qualitatem, quales ipſæ ſunt intentionaliter.

Concluſio XLI. Phantaſia per ſe & immediate non immutat fœtum: id eſt, phantaſia per ſuum ſimplicem actum imaginationis non immutat fœtum.

Hæc concluſio ex præcedentibus plurimis eſt manifeſta. Etenim ſi per ſe immutaret, hoc faceret, vel per ſe alterando fœtum, vel movendo & tranſponendo localiter humores aut membra ejus. Non alterando; quia concluſione ſexta eſt oſtenſum, animam per ſe non alterare; ergo nec phantaſiam, quæ tantum eſt ejus inſtrumentum: & concluſ. 20. eſt oſtenſum, phantaſiam

siam per se non esse activam, & concluſ. 24. per se formaliter non alterare. Non movendo localiter humores & membra; primo, quia concluſ. 20. est ostensum, itidem non esse activam: secundo, quia concl. 21. est ostensum non movere propriũ corpus; & 22. est ostensum etiam non movere humores & spiritus ejus; ergo multo minus humores & spiritus aut membra corporis alieni: tertio, quia humores & membra fœtus reguntur à propria anima, & ab illa moventur; & sic anima parentum non habet ullum imperium in illa.

Et, ut breviter repetam argumenta, phantasia est potentia cognoscitiva, & ejus actio est immanens, ergo per se non est activa. Antecedens est declaratum superius concluſ. 20.

Secundo; Si nudus actus imaginationis esset per se immutativus fœtus, omnis vehemens imaginatio parentum semper induceret fœtus immutationem & signaturam: at non inducit: ergo.

Tertio; Causa per se effectiva fœtus & omnium accidentium, coloris, figuræ, quantitatis, numeri, situs, est ipsa facultas conformatrix; ergo per se non est phantasia. Consequentia probatur: nam sic essent duæ causæ per se & æque propinquæ conformationis fœtus: hoc argueret superfluitatem causarum & potentiarum in anima: ergo,

ergo. Nusquam enim videmus in corpore eandem actionem fieri à duabus potentiis diversis per se & æque immediate, ac ut causis totalibus: sed unam actionem videmus non facere nisi unam potentiam; visionem non facere nisi potentiam visivam, auditum non facere nisi potentiam auditivam; & nunquam unam potentiam facere operationem alterius: ergo. Nec valet dicere, quod non conformet totum, quia ne minimum quidem actum conformationis potest facere, nisi ipsa facultas conformatrix.

Quarto; Si phantasia per se conformaret fœtum, phantasia deberet esse in ipso semine, aut fœtu; nam quod facit conformationem in fœtu, est intrinsecum ei: at phantasia non est intrinseca fœtui aut semini: ergo ipsa non est principium conformationis. Confirmatur. Si phantasia exsistens in cerebro conformaret fœtum qui est in utero, phantasia ageret in distans non agendo per medium: at hoc fieri non potest, ut est communis doctrina philosophorum: ergo. Sequela probatur: quia, quando phantasia mutaret colorem in fœtu secundum colorem imaginatum, & produceret illum colorem imaginatum, nisi tum ageret in distans, deberet eundem colorem imaginatum, quem producit in fœtu, producere in omnibus partibus intermediis, quæ sunt à cerebro ad fœtum; & quando in fœtu produceret

ceret aliquem effectum per motionem humorum & ſpirituum fœtus, deberet etiam movere omnes humores intermedios proprii corporis, qui ſunt à cerebro ad fœtum. Hoc non facit. Ergo. Nec valet dicere, ipſam quidem phantaſiam non mutare fœtum aut conformare per ſe, ſed tantum mutare & dirigere conformatricem: quia de eo hic non quæritur, ſed tantum an per ſe immutet; quia ſi tantum immutet conformatricem, dirigendo vel mutando, ſic habetur intentum, & ſic remanet concluſio firma, ſcilicet, non per ſe immutare.

Quinto; Si imaginatio per ſe eſſet efficax & activa, non eſſet activa & productiva niſi imaginati: at ſi eſſet productiva imaginati, poſſet facere quodvis imaginatum, quia non eſſet ratio cur magis efficeret hoc imaginatum quam illud, unaquæque enim res poteſt eſſe æque imaginata. Sed phantaſia poteſt varia imaginari; poteſt imaginari accidentia & qualitates; poteſt imaginari ſubſtantias, ut piſcem, canem, lapidem; & inter accidentia poteſt imaginari colorem, ſaporem, odorem, ſonum, venenoſitatem, levitatem, gravitatem, perſpicuitatem, & infinitas proprietates, ut trahendi ferrum, &c. itaque poſſet illa omnia in fœtu producere, & poſſet loco figuræ humanę producere piſcem, canē, lapidē, &c. At talia per virtutem imaginationis nō producuntur. Ergo phantaſia per ſe, &

con-

consequenter per nudum suum actum imaginandi, nihil producit.

Conclusio XLII. Phantasia non potest etiam fœtum effective immutare per suam speciem phantasticam: id est, Species phantastica etiam per se non est effectiva, nec ullius qualitatis realis in fœtu productiva.

Hæc conclusio est contra omnes illos authores superius nominatos, & præcipue contra D. Augustinum. Et probatur, primo, per conclusionem communem 25. in qua dicitur, nullam speciem esse activam ullius alterius operationis quam movendi potentiam, & ei objectum suum repræsentandi, & nullius alterius realis actionis.

Probatur secundo, argumentis ipsam fœtus mutationem peculiariter concernentibus, hoc modo. Si species per naturalem suam virtutem esset realis qualitatis effectiva, omnis species fortiter concepta in phantasia matris semper esset immutativa fœtus; quod enim secundum suam virtutem naturalem habet potestatem per se aliquid efficiendi, id nullo posito impedimento illud semper efficit. At certum est plurimas mulieres tempore prægnationis sæpe de variis rebus habere intentissimas imaginationes, quæ tamen non producunt fœtus signatos; ne quidem melancholicas, quarum tamen imaginationes sunt fortissimæ. Ergo.

Tertio; Si species haberet per se vim produce-

ducendi in fœtu qualitatem talem, qualis ipſa eſt intentionaliter, vel illam cujus ipſa eſt ſpecies, vel illius rei effectum, omnis ſpecies eſſet productiva ſui objecti, vel effectus ſui objecti; tam enim una ſpecies eſt efficax producere ſuum objectum, ſeu ſuam qualitatem realem, cujus ipſa eſt imago, quam alia ſuam. Sed non habet: quia, ſi haberet, cum in phantaſia infinitarum rerum ſpecies concipiantur, ſequeretur quod infinitæ notæ & accidentia in fœtu poſſent produci: hoc non fit. Ergo.

Quarto; Si ſpecies eſſent per ſe effectivæ illarum notarum & accidentium quæ aliquando apparent in fœtu, ſpecies deberent eaſdem qualitates & eadem accidentia producere in corpore proprio in omnibus partibus intermediis, quæ ſunt à cerebro matris uſque ad fœtum. Sed non producunt. Nam cum in fœtu eſt mutatus color, aut figura, aut quantitas, aut ſitus membrorum, ille color non eſt etiam mutatus in proprio corpore imaginantis; nec quantitas, aut figura, aut ſitus partium ſunt mutati. Major propoſitio probatur: quia agens naturale agit in omne ſuſceptivum ſuæ actionis indifferenter: at partes intermediæ proprii corporis ſunt tam bene receptivæ figuræ, coloris, quantitatis, ſitus, quam fœtus. Imo agens naturale magis agit in propinquum, quam remotum. Quare magis deberet age-

re in partes omnes intermedias proprii corporis, quam in partes fœtus.

Quinto; Species externæ seu species in aëre non sunt productivæ alicujus realis qualitatis: ergo nec quæ sunt in anima. Dicet forte aliquis non sequi; & esse diversitatem ex eo, quod illæ non possint agere nisi in virtute propria, quæ vero sunt in anima possunt agere in virtute animæ. At contra, quia, si mulier fuerit imaginata diabolum, continget fœtum nasci cum cauda, vel ungulis, vel eminentiis in capite instar cornuum, vel pilis, vel variis coloribus repræsentantibus diabolum, secundum nostrum modum concipiendi eum; vel si mulier fuerit perterrita à rana, simia, glire, continget fœtum signari ad similitudinem ranæ, simiæ, gliris. At anima nostra non habet potentiam generandi ranam, simiam, aut accidentia earum, nec habet ordinem ullum ad illa animalia, aut figuram eorum. Ergo non potest attollere activitatem specierum ad similitudines illorum animalium inducendas. Ergo species in virtute animæ non possunt similium figurarum aut accidentium esse productivæ.

Sexto; Si species vim effectivam haberent alicujus qualitatis producendæ, non haberent alterius quam talis à qua derivantur, & cujus sunt imago; ei enim sunt similes, & ad eam determinantur, ab eaque habent

omne

omne ſuum eſſe. Sed in fœtu ſæpe producuntur accidentia alterius generis quam ſunt ſpecies imaginatæ. Ergo illa à ſpeciebus effective non producuntur, ſed neceſſario debent produci alia ratione. Subſumptum probatur exemplis. Si contingeret mulierem gravidam terreri à carbone ignito deſuper ex improviſo ſuper manus ejus cadente, & ipſa terreretur, & fœtus ſignaretur, ut contingere poteſt; poſſet fieri, quod talis fœtus haberet cicatricem in manu, vel foramen, vel exſtans tuberculum, vel maculam nigram aut rubram. At ſpecies quæ fuit in ſenſu & imaginatione, & quam terror fuit ſecutus, non fuit ſpecies cicatricis, aut tumoris, aut foraminis, aut coloris; ſed fuit ſpecies intenſiſſimi caloris, & ſpecies luminis. Ergo illa effective non potuit illa accidentia inducere; ſed quando aliqua producere debuiſſet, debuiſſet potius produxiſſe ſummum calorem, lumen aut perſpicuitatem. Sequela probatur: quia ſpecies quæ ab illo carbone fuerunt perceptæ & terrorem incuſſerunt, fuerunt ſpecies illorum accidentium, & habuerunt ſimilitudinem cum illis, & non fuerunt ſpecies cicatricis, tumoris, foraminis, &c. nec cum his ſimilitudinē habuerunt. Cū mulier appetens morū denegatum, ſignat fœtum, contingere poteſt fœtum ſignari in aliqua parte macula aliqua rubra, aut tuberculo rubro, ut patet in exem-

plo 20. At in imaginatione mulieris tum maxime fuit species saporis mori, & non species coloris seu rubedinis ejus : nam sapor mori peperit desiderium in animo mulieris, non color. Ergo si species per se esset productiva qualitatum in fœtu, illa species saporis mori debuisset in aliqua parte corporis produxisse saporem mori, & non colorem. Ergo cum id non fecerit, species non fuit per se talis notæ causa effectiva.

Septimo; Unum non est natum facere nisi unum; & idem manens idem natum est semper facere idem, ut inquiunt philosophi: itaque si species essent alicujus qualitatis aut notæ effectivæ, eædem species deberent semper esse effectivæ earundem notarum. Sed non sunt; quia contingit sæpe mulieres eadem specie affectas, & eandem rem desiderantes, diversas producere prolium signaturas. Ergo species per se non efficiunt illas, sed alia causa. Assumptum probatur exemplis. Nam si contingat duas desiderare cerasa negata, poterit esse quod una inducet in fœtum tantum maculam rubram, alia particulam carneam cerasum referentem, tertia fœtum habentem proprietatem cerasa vel odiendi vel appetendi; imo quarta propter morsum negatum in exemplo 16. causavit mortem suæ prolis. Denique, si una mulier terreatur à fele ex improviso insiliente, contingere potest, quod ejus fœtus habebit faciem

ciem figura felis, ſicuti eſt in exemplo 8. ejus quæ terrebatur à marito; & in exemplo 27. gallinæ quæ terrebatur ab accipitre; & in exemplo 19. mulieris quæ terrebatur à ranâ ſi ſecunda etiam terreatur à fele, eodem modo contingere poteſt, quod illius fœtus non habebit niſi cicatrices in illo loco, in quem contra matrem felis inſiliit, tanquam veſtigia pedum ejus; ut aliquibus audivi eveniſſe: ſi tertia, contingere poterit quod ejus fœtus naſcetur piloſus, ſicuti felis; ut eſt in exemplo 7. & 24. ſi quarta, poterit fieri quod ejus fœtus naſcetur cum odio naturali felium, ut eſt in exemplo 17. ſi quinta, poterit fieri quod ejus fœtus totius corporis conformationem habebit aliquo modo ad ſimilitudinem quadrupedis ſeu felis comparatam; ut patet in exemplis 8. 9. & 12. fœtus toto corpore ad ſimilitudinem diaboli conformati. Hi effectus tam diverſi non poſſunt eidem ſpeciei per ſe adſcribi, quia ſic una & eadem ſpecies poſſet producere figuram, colorem, occultas proprietates, ſubſtantiam corpoream, res nempe diverſiſſimas, quod eſt impoſſibile. Ergo.

Octavo; Figuræ, numeri, quantitatis, ſitus, nullæ ſunt propriæ ſpecies; nam ſunt ſenſibilia communia, quæ non habent propriam ſpeciem, ut dicunt philoſophi, ſed cognoſcuntur ſolum per quendam modum quem ſpeciei propriæ ſuperaddunt: ſed in

fœtu mutantur sæpe partium figura, numerus, quantitas, situs: ergo non mutantur à speciebus figuræ, numeri, &c. quia earum nullæ species sunt. Denique, etiamsi illa accidentia haberent propriam speciem, tamen illæ species non possent esse productivæ similis accidentis realis, quia illa ipsamet accidentia non sunt activa, nec productiva sui similis; ergo multo minus species eorũ, cum sint minoris entitatis. Quod in fœtu illa accidentia mutentur, patet exemplis. Nam mulier perterrita à diabolo, simia, rana, producit fœtum habentem similitudinem diaboli, simiæ, ranæ, ut est in exemplis 8. 9. 12. 19. 23; & gallina ab accipitre perterrita producit pullum similem accipitri, ut est in exemplo 27. ergo mutatur figura. Si aliqua terreatur à monstro habente quatuor crura, est possibile ut producat fœtum habentem quatuor crura: ergo mutatur numerus. Quædam territa ab imagine in qua depictus erat puer hydrocephalus, peperit fœtum cum magno capite, ut est in exemplo 15. ergo exprimitur quantitas. Alia fuit territa à marito minitante ejus capiti gladio stricto, & peperit fœtum cum vulnere in capite, ut est in exemplo decimoquarto, quod refertur ad partium situm: ergo potest permutari situs. Nec valet dicere, quod figura, quantitas, numerus, superaddant modum speciebus propriis, & ratione illius modi possint efficere similem

milem in fœtu figuram, quantitatem, numerum, &c. quia sic saltem non possent illa efficere, nisi facta prius mutatione in sensibi proprio: at sæpe in fœtu solum mutatur figura, quantitas, numerus, &c. nulla facta circa sensibile proprium mutatione: ergo. Subsumptum probatur; quia quæ mulier terrebatur à simia, rana, &c. producebat quidem in fœtu figuram & similitudinem simiæ & ranæ, sed tamen non colorem earum.

Nono; Substantiæ non cadunt in phantasiam, sed tantum accidentia: solus verò intellectus subsstantias percipit: ergo species phantasticę tantum sunt species accidentium: ergo tantum etiam possunt producere accidentia, & non subsstantias. Atqui in fœtu sæpe producuntur subsstantiæ, id est, res novæ forma & materia constantes; ut tumores carnosi diversicolores in exemplo decimo octavo, eminentiæ instar cornuum in exemplo nono & duodecimo, fragra carnea in exemplo vigesimo, pili in exemplo quinto, &c. Ergo species phantasticæ effective non producunt eas. Nec valet dicere, quod species non producunt materiam & formam, sed materiam idoneam ex corpore seligant, & moveant eam ad locum determinatum, & in eam imprimant accidentia rerum imaginatarum; quia inprimis hoc esset dicere, species cognoscere ex qua materia debeant tales subsstantiæ fieri, & ubinam illa

materia in corpore fœtus vel matris contineatur, & quo, & per quas vias duci debeat, &, in summa, species habere intellectum. Secundo, quia sic species haberent vim & per se movendi humores determinatos ad loca determinata, & eos alterandi: adeoque majorem vim quam anima in humores sibi subjectos; imo majorem vim quam ipsæ intelligentiæ, quæ movent quidem, sed non possunt alterare; hæ vero utrumque facerent. Tertio, sequeretur species habere vim conformandi; quia tales substantias, ut cornua, ungues, carnea fragra, efformare, est actus conformatricis: sicque sequeretur species, quæ minimæ sunt entitatis, esse tam efficaces & nobiles, quam ipsa facultas conformatrix, quæ à philosophis divinissima fuit appellata, & supernis intelligentiis adscripta vel comparata.

Conclusio XLIII. Phantasia, mediantibus animi passionibus, & humorum & spirituũ motu, potest aliquas circa fœtũ facere mutationes.

Hæc conclusio patet ex conclusione 31. & 32. Dico autem aliquas; quia non potest facere omnes. Multæ enim à phantasia in fœtu contingunt signaturæ, quæ non possunt animi passionibus, aut inde sequenti spirituum & humorum motui, adscribi. Pro cujus intelligentia est notandum, læsiones & permutationes quæ circa fœtum contingunt esse duplices; aliæ sunt communes, aliæ parti-

particulares & determinatæ. Communes; ut abortus, mors ipsius fœtus, morbi aliqui interni; externæ etiam deformitates aliquæ, ut confusæ & indistinctæ maculæ nullam rem distincte referentes; certa etiam vitia conformationis, ut nimia unius partis magnitudo aut parvitas, alicujus in numero defectus vel exsuperantia, excrescentia aliqua carnosa rudis & informis, nulli rei præcise similis, partis alicujus curvitas vel transpositio, &c. Peculiares seu determinatæ notæ seu deformitates sunt, quæ peculiarem & determinatam aliquam habent figuram, colorem, situm, magnitudinem, materiam; vel cum aliqua re externa habent similitudinem; aut rem aliquam externam, ut fructum, aut animal, aut aliud quippiam, præcise referunt. Tales sunt, faciei figura quæ notabiliter repræsentet ranam, vel simiam, vel avem; vel particula aliqua carnis adnata, quæ lacertam vel verum cerasum repræsentet; vel talis macula, quæ aut colore determinato, aut pilis innascentibus referat vel gallum gallinaceum, vel morum, vel glirem, vel vulnus aliquod, &c. Utræque istæ notæ vel sunt præimaginatæ, sic quod tempore prægnationis mater præcise habuerit phantasiam de iis, vel de rebus cum quibus illæ secundum aliquid habent similitudinem; vel non sunt præimaginatæ, sic quod mater præcise de iis non sit imaginata. Præimaginatæ sunt,

quando (verbi gratia) mater antea fuiſſet à lupo deterrita, & poſtea in fœtu appareret vel facies ſimilis lupo, vel cutis tota hirſuta inſtar lupi, vel pedes ſicut ungulæ luporum, vel cicatrices in cute ſicut veſtigia ungularum lupi, &c. Non præimaginatæ, quando (verbi gratia) mater à lupo valde deterrita fuiſſet, & in fœtu appareret ſummus pallor vultus, vel fieret febris, vel fœtus naſceretur cum quatuor manibus, vel cum uno crure, vel eſſet ſemigeminus: quæ omnia propter animi paſſiones phantaſiam ſequentes contingere poſſunt. Tales enim læſiones & notæ non ſunt præimaginatæ: quia quando mater terrebatur à lupo, non habuit illas ſpecies ſeu notas in phantaſia; neque enim tum cogitavit aut de febre fœtus, aut de pallore vultus ejus, aut pluralitate manuum, aut unitate cruris, aut de aliquo quod cum illis ſimilitudinem habeat; ſed de lupo, de morte, de morſibus, &c. Communes illæ notæ poſſunt non tantum à phantaſia fieri, ſed etiam ab aliis cauſis; nempe illis omnibus quæ inter cauſas monſtrorum referuntur. Sæpe enim ab aliis cauſis tales notæ contingunt, etiamſi nulla de iis acceſſerit imaginatio. Peculiares & determinatæ notæ, & quæ aſſimilantur rebus aliquibus externis, plerumque non fiunt niſi à phantaſia. Interim utræque poſſunt à phantaſia fieri, pariter & maginatæ & non imaginatæ. De imagina-

tis

tis est manifestum. Nam si (verbi gratia) mulier tempore prægnationis fortiter fuerit imaginata cerasa, & ea ardenter expetiverit, manifestum est, quod cerasorum aliqua similitudo in fœtu non raro exprimatur: & sic de aliis. Fiunt etiam non imaginatæ. Nam si (verbi gratia) mulier à lupo perterrita fuerit, subsequente motu humorum & spirituum in corpore fœtus, potest in eo fieri febris, vultus pallor perpetuus; & mediante motu humorum & spirituum in corpore matris, sanguine materno seu alimentario & spiritibus ab utero & fœtu retractis, & fœtu sic alimento destituto, potest fieri alicujus partis defectus, vel nimia parvitas, illius nimirum, à qua tumultuario illo motu alimentum maxime retrocesserit; vel, semine & sanguine distractis & divisis, potest fœtus fieri vel semigeminus, vel cum quatuor manibus, vel sex digitis, &c. Patiter, si mulier fuerit alicujus rei, ut fragi aut cerasi, desiderio summe affecta, fieri potest ut illo affectu motis humoribus, sanguis impetu ad uterum feratur, & illo impetuoso incursu causa sit ut una pars, in quam maxime irruerit, fiat vel prægrandis, si adhuc illum formatrix facultas regere potuerit, vel remanent informis, si ab illo fuerit victa & oppressa; vel fieri potest ut cutis corporis alicubi evadat rubicūda, sanguinis portione in habitum irruen-

irruente. Illæ notæ non fuerunt tunc imaginatæ, quia tunc tantum in imaginatione fuit cerasum, seu colores ejus, & non membri alicujus deformitas aut vitium; & tamen à phantasia causantur.

His positis, dico, phantasiam notas, læsiones & effectus communes posse causare in fœtu, per animi passiones & humorum & spirituum motum: at notæ peculiares, requirentes determinatum colorem, situm, figuram & materiam, & notas imaginatas, seu notas respondentes rebus imaginatis, & determinatas secundum species in phantasia receptas, non posse facere solum & per se, mediantibus animi passionibus, & humorum & spirituum motu; sed necessario insuper alia ratione. Hanc posteriorem partem, scilicet, quod peculiares notas, seu notas præimaginatas non possit facere per animi passiones, proxima conclusione ostenderur. Quod vero aliquas læsiones & permutationes, nempe communes jam dictas, per eas efficere possit, quod est in conclusione, sic declaratur. Proprius & perpetuus effectus passionum animi est, mediante motu cordis, humores corporis & spiritus agitare, ut est manifestum: sanguis & spiritus materni moti possunt, vel impetu, vel nimia quantitate, ad uterum & fœtum ferri, vel abeo avocari: per utramque actionem necessario debet fœtus alterari, imo alterari & affici

affici variis modis : ergo per illas potest phantasia fœtum immutare. Porro, quia corpus fœtus est contiguum corpori matris, & humores & spiritus fœtus sunt humores & spiritus matris, & à matre derivantur, & cum matris humoribus sunt continui, ideo per sympathiam quæ est illorum corporum inter se, necessum est, ut cum humores matris agitantur, etiam agitentur humores & spiritus fœtus : at illis motis & agitatis, necessarium est, ut tenerum fœtus corpus variis permutationibus afficiatur : ergo animi passiones, & consequenter phantasia mediantibus illis, potest illud variis modis permutare.

Dico ergo imprimis, quod hac ratione possit causare abortum, facultate uteri expulsiva propter corporis turbationem irritata.

Secundo ; potest causare mortem fœtus, & varios morbos internos : idque variis modis. Primo, quatenus ab illis passionibus, potest causari morbus in corpore matris, qui propter vicinitatem communicetur corpori fœtus ; ut febris & alii morbi : matre enim ægrotante, non potest fœtus bene valere. Secundo, quatenus per illas animi passiones, sanguis, spiritus, & calor matris ab utero & fœtu sursum retrahuntur, vel è contra nimis confertim ad eum mittuntur. Exinde enim fœtus alimento & calore destitutus, refrigeratur, contabescit & moritur : ex hoc in febrem

brem incidit, aut facultas ejus vitalis suffocatur. Tertio, quatenus ex illo motu potest mensium profluvium matri oboriri, unde fœtus languet, exit vel perit. Quarto, quatenus pravi & corrupti matris humores motu illo fluctuantes, versus uterum transmitti possunt, à quibus fœtus afficitur. Quinto, quatenus humoribus matris motis etiam moventur humores fœtus: ex eorum enim inordinato motu varia mala contingere possunt; nempe vel teneriorum arteriarum ruptio, hæmorrhagia, vel febris aliqua, vel obstructiones, vel apostemata, &c. Sicuti enim illa in adultis ab agitatis humoribus fieri possunt, ita multo magis in tenero fœtu. Illa motione humorum insuper actiones fœtus interpellantur, & præcipue facultas conformatrix; ex quo plurimæ monstrosæ contingere possunt deformitates.

Tertio; potest etiam causare morbos externos, deformitates, maculas, notas, & varia vitia conformationis. Eadem ratione fieri potest ut una pars fiat longe major altera, & proportionem naturalem excedat; quatenus agitatis humoribus, fieri potest ut plus alimēti ad unam mittatur quā ad alteram. Fieri etiam potest ut una maneat informis, altera formata; quatenus propter humores magna copia in unam impulsos, formatrix obruta illic in suo opere impeditur, in altera vero non, unde illam non format, vel deformat. Non aliter

ter ac si quis in vasis argillacei unum latus molem aliquam argillæ injiceret: tum enim illud latus maneret informe, alterum vero esset formatum. Possunt etiam maculæ in fœtum induci, sanguine, vel bile, vel melancholia in aliquam partem externam motu illo decumbentibus, qui in partis alimentum transeuntes, cutem simili colore inficiant; vel pravis aliquibus è corpore matris humoribus ad fœtum transmissis, qui partem quam alunt pravo colore tingant. Potest etiam fieri ut fœtus aliqua parte mutilus evadat, propter defectum scilicet alimenti; ipso, nempe, propter turbulentum humorum motum ad alias partes conversō: sicuti & alias, sine operatione imaginationis, propter alimenti defectum, monstra mutila nasci contingit.

Verum hæ permutationes non sunt veræ signaturæ, sed potius monstrosæ deformitates: & non sunt notæ peculiares determinatæ ad similitudinem rerum imaginatarum, sed fiunt à facultate conformatrice propter animi passiones læsa; quæ conformatrix eas fortuito facit, pro fortuito humorum in hanc vel illam partem incursu, & non prout modo quodam particulari secundum species in phantasia receptas determinatur. Ex quo patet, istiusmodi permutationes quæ fiunt in fœtu mediantibus animi passionibus, vere & formaliter nō causari à phantasia, sed solummodo

modo & proprie ab ipsis animi passionibus; & proinde non debere phantasiæ adscribi, sed illis. Phantasia enim ad eas vere & effective non concurrit, sed totaliter fiunt à virtute animi passionum: & ita fiunt, sicuti passiones ex natura sua eas facere natæ sunt: & propter hanc vel illam hujus vel illius rei imaginationem, non fiunt aliter atque aliter. Atque adeo phantasia non aliter concurrit, quam quatenus excitat in actum ipsam appetitivam, quæ vere & efficienter eas causat: etsi tamen non immediate, sed mediante potentia motiva cordis & aliorum membrorum. Quando illæ permutationes seu notæ ita fiunt, ut varientur & determinentur secundum hoc quod est imaginatum; ut quando (verbi gratia) est imaginatum monstrum habens quatuor manus, & nascitur fœtus cum pluribus manibus; aut est imaginatũ monstrum carens uno pede, & fœtus nascitur altero pede destitutus; aut est imaginatum cerasum, & postea apparet in fœtu aliqua nota habens similitudinem cerasi: tum ad illas phantasia proprie concurrit, illas nimirum determinando, ut fiant aliæ atque aliæ, secundũ hoc quod est imaginatum. Et merito tales phantasiæ adscribuntur. Sed cum phantasia non aliud facit quam excitat animi passiones, animi vero passiones tum ulterius mera virtute propria causant ejusmodi perturbationes, & tales quales ipsæ ex natu-

natura suâ natæ sunt facere, sic quod, sive hoc sive illud sit imaginatum, sive leo, sive lupus, sive serpens, sive gladius, sive vulnus, sive mors, sive fractura, sive in hac sive in illa parte, per hoc læsio & signatura non sit alia atque alia, & in nullo determinata ad hoc quod fuit in imaginatione; tum vere talis effectus non pertinet ad phantasiam, ut propriam causam, sed solummodo ad animi passiones.

Conclusio XLIV. Notas & signaturas peculiares, seu signaturas imaginatas, id est, rebus in phantasia præconceptis assimilatas, non potest phantasia edere mediantibus animi passionibus, & humorum & spirituum motu; sed necessario alio modo.

Hæc conclusio, ut dixi supra, est contra D. Thomam part. 1. quæst. 110. art. 2. resp. ad 1. & quæstione 117. & part. 3. quæst. 13. art. 3. ad tertium, & 3. contra gentes cap. 103. ubi dicit, animam & phantasiam non posse movere corpus, nisi mediantibus animi passionibus, & humorum & spirituum motu: & nuspiam agnoscit (quod sciam) alium modum, quo possit corpus seu proprium, seu fœtum immutare. Pro quo est notandum, quod non negem, quin ad ejusmodi determinatas & particulares signaturas concurrant animi passiones; docet enim experientia phantasiam raro signare cum est simplex, sed solummodo quando subito timore

more aut desiderio est comitata : sed dico, illas animi passiones, mediante motu humorum, per se & effective illas non facere ; seu dico, humores ab animi passionibus motos, suo illo motu, ac in fœtum fortuito & confuso incursu, illas per se immediate & effective non facere, sed solum concurrere ut causam sine qua non, proximam vero & effectivam causam esse aliam. Hanc conclusionem etiam tenent Conimbricenses lib. 1. de generat. & corrupt. cap. 4. quæst. 30. art. 2. ubi contra D. Thomam dicunt, impossibile esse dare rationem variarum notarum quæ in fœtu contingunt ; tenendo phantasiam corpora non aliter quam per animi passiones immutare.

Probatur primo : Proprius per se & proximus effectus animi passionum est movere humores & spiritus, tum proprii corporis, tum etiam fœtus ; non determinate hos vel illos, sed omnes simul, id est, totam massam sanguineam simul, & motu quodam confuso ad intra & extra, sursum & deorsum. At tali confuso motu non possunt peculiares & determinatæ notæ certo colore, figura, materia, quantitate, & in certo situ corporis nascentis produci. Ergo phantasia per animi passiones illas non producit.

Probatur secundo : Contingunt in fœtu plurimæ notæ peculiares & determinatæ, habentes determinatam figuram, colorem, situm,

ſitum, quantitatem, materiam; quæ non poſſunt fieri, niſi à determinata actione facultatis conformatricis. Atqui paſſiones animi non conformant (etenim appetitus non eſt facultas conformatrix) neque etiam conformatricem poſſunt determinare. Ergo non contingunt per eas. Quod animi paſſiones non poſſint facultatem conformatricem determinare, eſt manifeſtum. Nam per quid determinarent? non per ſpecies; quia non habent, nam appetitus non eſt cognoſcitivus: non ſeipſis; quia eandem paſſionem, verbi gratia terrorem, ſequuntur notæ diverſæ, unum autem non poteſt determinare ad diverſa: non per motum humorum & ſpirituum; quia ille eſt confuſus: ergo. Denique, quia, quid deſiderium, vel terror, vel motus humorum habent commune cum figura, colore, quantitate, ſitu, & cum figura ſimiæ, cum colore ceraſi, &c. ut poſſint notas ſecundum illa determinare?

Tertio: Si imaginatio ſignaret per animi paſſiones, imaginatio de diverſiſſimis rebus deberet ſignare eodem modo: at non ſignat eodem modo, ſed diverſiſſimis: ergo. Major probatur. Quia de diverſiſſimis rebus imaginatio ſæpe movet eandē paſſionem. Sic de quacumque re deſiderabili fit imaginatio, oritur ſemper idem ſpecie deſiderium; & de quacunq; re terribili ſit imagintio, ſem-

ſemper oritur idē ſpecie terror. Sic ſive terreat à leone, ſive à tigride, ſive à diabolo, ſive ab hoſte, idē eſt ſpecie terror, ſecundū magis & minus differens. At eadem ſpecie paſſio eodem modo afficit cor, & fere eundem inducit humorum & ſpirituum motum: namin omni timore ſemper calor & ſpiritus feruntur à circumferentia ad centrum, & in omni gaudio ſemper à centro ad circumferentiam. Manente autem eodem humorum & ſpirituum motu, idem deberet ſequi effectus, & eadem fœtus permutatio. Ergo deberet ſemper oriri in fœtu eadem ſignatura. Unde, ſive mulier terreretur à mure, ſive à ſimia, ſive à gladio, ſive à viſo vulnere; ſemper deberet fœtus eodem modo ſignari. Atqui contrarium docet experientia. Nam quæ terretur à ſimia, ſignabit fœtum aliqua ſimilitudine ſimiæ, quæ à glire, aliqua ſimilitudine gliris, ut pilis, &c. quæ à vulnere aut gladio, aliqua ſimilitudine vulneris, ut cicatrice, macula ſanguinea, &c. Ergo.

Quarto: Si imaginatio ſignaret per animi paſſiones, contrariæ paſſiones deberent ſignare contrario modo: at experientia docet ſæpe non ita ſignare, ſed eodem: ergo. Etenim deſiderium & terror, quæ ſunt contrariæ paſſiones (cum una conſiſtat in proſecutione, altera in fuga) ſæpe ſignant eodem modo. Nam ſi una mulier inſpexerit pulchram picturam deſiderio habendi prolem

ſimilem

similem ei, fiet ut prolem producat similem; ut est in exemplo 1. & 2: è contra, si alia inspexerit pictutam ursi cum terrore quodam, fieri potest ut etiam producat fœtum similem ei; ut est in exemplo 7. Ergo utraque passio causabit eandem signaturam, nempe similitudinem cum pictura inspecta. Probatur clarius alio exemplo. Si aliqua habuerit simiam, & eam valde amaverit, & cum ea luserit, & ea delectata fuerit, fieri potest ut producat prolem habentem similitudinem aliquam cum illa; ut patet in exemplo 23: si vero alia è contra à simia deterrita fuerit, fieri poterit quod etiam producet fœtum cum eadem similitudinem habentem; ut est in exemplo 7. & in exemplo 27. &c. in quibus per terrorem in fœtu fuit expressa figura animalis de quo terror fuit. Pariter, si mulier desideraverit comedere morum, & non habuerit; fieri poterit quod fœtus erit signatus similitudine mori: è contra, si alia à moro in faciem eximproviso injecto fuerit perculsa, fieri poterit quod etiam in ejus fœtu figura mori expressa relucebit. Ergo contrariæ passiones eadem inducunt signaturas.

Quinto: Cum producitur fœtus habens similitudinem in figura cum re imaginata, ut cum producitur fœtus similis lineamentis & figura faciei viro aut picturæ, simiæ aut cani, de quibus mater est imaginata; quomodo

modo animi passiones possunt esse causa talis similitudinis in figura ? aut quomodo confusus ille motus humorum & spirituum ad extra & intra potest esse causa figuræ, & accidentium illius rei imaginatæ ? Motus ille humorum est calefactivus vel frigefactivus, adducendo vel amovendo humores calidos vel frigidos : at quomodo potest esse factivus figuræ in aliqua parte, & quidem figuræ imaginatæ ? Quod certe nec animi passiones, nec motus humorum possint figuram immutare, fatetur D. Thomas part. 3. quæst. 13. art. 3. ad 3. ubi, cum dixisset phantasiam, mediantibus animi passionibus, & humorum & spirituum motu, corpora permutare, subjungit, ideo corpus obedire forti imaginationi quoad calorem & frigus, & alia consequentia : sed aliæ, inquit, dispositiones corporis, quæ non habent ordinem naturalem ad imaginationem, non possunt transmutari ab ea, quantumcunque sit fortis; puta, inquit, figura manus vel pedis, vel aliquid simile.

Sexto : Cum mater, territa à vulnere quod vidit in facie alicujus hominis læsi, producit fœtum cum rubra cicatrice in facie, aut deterrita à marito iracundo ictum gladii minitante, producit fœtum cum vulnere vero in capite, ut est in exemplo 14. quomodo possunt animi passiones esse causa talis notæ ? Fateor equidem eas, motu humorum,

posse

posse esse causam ut aliqui humores erumpant in pueri cutem, & ibi maculas faciant, ut supra est ostensum: sed tales maculæ non possunt esse in determinata parte, cum determinato colore, cum determinata figura, sed tantum fortuitæ, pro fortuito humoris hujus vel illius, in hanc vel illam partem, hac vel illa quantitate, expulsu. At quomodo possunt esse causa maculæ determinati coloris existentis præcise in capite, figuræ oblongæ instar vulneris, secundum normam & dictamen prægressæ imaginationis? Motus enim ille humorum est confusus per totum ad extra vel intra, non in determinatam partem; est totius massæ sanguineæ, & non specialiter alicujus humoris solius, rubri, flavi aut nigri; est humoris multi, & non præcise tantilli, qui parvulam notam facere possit solummodo magnitudine cicatricis; est humoris irrumpentis in cutem modo confuso, & non tali, ut recte facere valeat unam maculam oblongam instar vulneris, &c. Aut quomodo motus ille humorum erit causa veri vulneris in tali loco determinato?

Septimo: Cum mulier perterrita à mure producit in fœtu maculas consitas pilis nigris, vel perterrita ab homine habente formam diaboli producit ungulas & cornua, aut perterrita à lacerta producit fœtum habentem lacertam in pectore, quomodo animi

mi passiones, seu motus ille confusus humorum in venis & arteriis existentium, possunt esse causa eorum? Quomodo motus ille generalis humorum est causa, ut, quasi per electionem, solæ fuligines vel humores, pilis aut cornibus generandis apti, in determinatam corporis partem ferantur, & non sanguis aut bilis? &c. Quomodo ille confusus motus humorum impellit sanguinem in cutem tali quantitate & modo, ut præcise fiat ex eo forma lacertæ, & non rotundæ alicujus molis; & tum præcise forma lacertæ, & non ceraſi, quando de lacerta fuit terror & imaginatio; tum vero ceraſi seu rotundi tuberculi, & non lacertæ, quando cogitatio fuit de ceraſo aut moro? Sunt equidem hæc opera facultatis conformatricis determinate conformantis, secundum dictamen & regulam prægressæ imaginationis: quare non possunt per se animi passionibus, aut turbulento humorum & spirituum motui adscribi. Infinita alia argumenta ex particularibus notis in fœtu elucentibus possent desumi, quæ brevitatis causa omitto.

Conclusio XLV Notas peculiares & imaginatas in fœtu causat phantasia dirigendo potentiam conformatricem.

Pro quo sciendum est, omnes deformitates, notas, & vitia conformationis, quæ in fœtu contingunt, effective facere ipsam conformatricem. Quidquid enim in toto corpore

pore conformatur, sive bene, sive male, sive cum hac figura, sive cum illa, sive cum hoc colore, quantitate, situ, seu cum aliis, totum facit conformatrix, non phantasia. Phantasia enim nihil conformat, nec est conformatrix; ipsa autem conformatrix est quæ omnia conformat, tam ea quæ male, quam quæ bene sunt conformata. Verum phantasia aliquando seducit conformatricem à recta conformatione, quam secundum speciem & naturam seminis in quo est facere deberet, & determinat ad aliquid conformandum secundum similitudinem sui, seu ejus quod est imaginatum: & sic causat ejusmodi notas determinative, faciendo ut fiant tales vel tales. Et hac ratione merito potest dici esse causa earum: & illarum quas facit hac ratione, longe aliter est causa, quam illarum quas facit mediantibus animi passionibus. Ad has enim vere nihil confert, nec eas facit, nec determinat, ut ostensum est; ad illas vero concurrit determinando, & causando ut fiant hæ vel illæ, prout hoc vel illud est imaginatum: & sic merito est causa illarum, harum non.

Probatur conclusio. Etenim ostensum est exemplis, & est communis opinio omnium hominum, phantasiam aliquas peculiares & determinatas notas in fœtu posse causare: illas non facit per se, seu nudum suum actum

imaginationis; non etiam per ſpecies ſuas; non per animi paſſiones, ut de ſingulis eſt oſtenſum; & tamen facit, adeoque facit aliquo modo: nullus modus poteſt excogitari quo facere poſſit, præterquam in concluſione aſſignatus: ergo facit illo. Confirmatur: Poſita mutatione in effectu, neceſſario debet præceſſiſſe mutatio in cauſa proxima & ſynectica: iſtæ notæ ſunt effectus conformatricis, & conformatrix eſt ſynectica cauſa illarum, nam ſunt vitia conformationis: ergo cum illæ eveniunt, neceſſario debet conformatrix eſſe immutata. At à nullo poteſt immutari niſi à phantaſia; quia phantaſiam ſequuntur ejuſmodi notæ. Ergo ipſa eſt quæ immutat eam. Non poteſt immutare, niſi per modum dirigentis: ergo dirigit eam, & ad ſic vel ſic conformandum determinat.

Probatur ſecundo: Si tales notæ contingerent per animi paſſiones, & humorum & ſpirituum motum, & non per operationem facultatis conformatricis ſic vel ſic directæ, poſſent tales notæ etiam fieri in proprio corpore. At non fiunt: nunquam enim propter noſtram imaginationem in corpore noſtro fiunt ullæ notæ aut ſignaturæ, nunquam maculæ ullæ, nunquam membrorum figura, quantitas, ſitus, numerus permutantur: & quantumcumque mater imaginetur, nunquam illas notas proprio corpori

pori imprimit, quas fœtui. Ergo verisimile est hoc fieri propter conformatricem, quam phantasia immutat & dirigit, quæ in fœtu est in actu suæ operationis, in matre vero & adultis jam cessavit. Quæ enim posset esse alia causa, cur illæ in fœtu seu homine fiente fierent, in adultis & jam factis non, si non esset ipsa conformatrix? Neque valet dicere, ideo hoc fieri, quia corpus fœtus est tenerum, molle, & facile receptivum impressionis humorum & spirituum; corpus vero hominis jam facti & adulti durum, & minime receptivum earum: primo, quia illa diversitas in duritie non est tanta, ut per illam unum corpus valeat eas recipere, aliud non: secundo, quia non ita humores & spiritus notas illas imprimunt in partes, sicut sigillum imprimit figuram in ceram, vel sicuti substantia colorata in murum projecta colorem imprimit in eum; sed quatenus humores in ratione alimenti ingrediuntur substantiam membrorum, & membra ad eorum ingressum dilatantur & recipiunt eos, & in se convertunt, & sibi applicant; quæ receptio & dilatatio tam bene fit in adultis, quam in tenero fœtu. Imo videtur quod talis impressio multo magis deberet fieri in proprium corpus, si fieret motu humorum, quam in corpus fœtus; cum & motus sit violentior in proprio corpore quam in corpore fœtus, & omnis actio & impressio fortius & efficaciu

fiat in propinquum quam in remotum. Verum difficultas eſt

QUÆSTIO XV.

Quomodo poſſit conformatricem dirigere.

Concluſio XLVI. Dirigit conformatricem per ſpecies exemplariter.

Hanc concluſionem videtur innuere Avicenna lib. 3. ſen. 21. tract. 1. cap. 6. loquens in hæc verba: Et dixerunt quidam ſapientum, & non ſunt elongati à judicio poſſibilitatis, quod de cauſis aſſimilationis eſt illud quod exemplificatur, cum eſt diſpoſitio conceptionis in mente mulieris, aut viri, ex forma humana exemplificatione firma. Ubi per verbum (exemplificationis) manifeſte videtur innuere, ſpeciem rerum phantaſia conceptam cauſare aſſimilationem fœtus per hoc, quod per modum exemplaris dirigat potentiam conformatricem.

D. Auguſtinus, etſi in aliis locis, ſupra commemoratis, videatur velle ſpecies aſſimilare fœtum effective; tamen lib. 3. de Trinit. cap. 8. videtur clare innuere eas id facere exemplariter & objective. Loquens enim de ovibus Iacob, ſic inquit; Ut autem de varietate virgarum pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc anima gravidæ pecudis per oculos affecta forinſecus, & interius pro ſuo modulo formandi regulam tra-

nahens. Vbi per verbum *regulæ* videtur indicare, animam seu formatricem assimilare fœtum, regulatam & directam à speciebus oculo & phantasia conceptis. Sicuti enim regula non facit lineam, sed dirigit; ita phantasia & species phantastica non faciunt notas & figuras ac lineamenta fœtus, sed dirigunt.

Pro hujus conclusionis intelligentia est sciendum, tres modos posse assignari, quibus dici possit hæc directio fieri: vel scilicet per imperium phantasiæ super conformatrice; vel per sympathiam singularem cum ea; vel per communicationem specierum. Per imperium vel sympathiam, dicendo quod phantasia habeat aliquod imperium politicum super conformatrice, vel aliquam talem sympathiam, per quorum alterum, quando fortiter aliquid apprehendit, ita afficit conformatricem, ut debeat aliquo modo conformare secundum hoc quod ipsa apprehendit. Per communicationem specierum, dicendo quod species phantasia perceptæ imprimantur spiritibus & sanguini matris, & continuitate quadam etiam sanguini & spiritibus fœtus; & ibi per modum cujusdam exemplaris disponant & dirigant conformatricem, ad conformandum secundum exemplificationem & determinationem earum. Verum dico neutro priorum modorum dici posse illam directionem fieri:

quapropter ut fiat tertio modo eſt neceſſum.

Nam imprimis, non poteſt fieri per imperium aliquod quod phantaſia habeat ſuper conformatrice. Primo, quia (ut docet D. Thom. part. 1. q. 82. art. 4. Barthol. Medina in 1. 2. q. 9. art. 1. concluſ. 2. Fonſeca to. 3. Met. lib. 9. cap. 2. Conimbricenſes 3. de anima cap. 13. quæſtione prima, articulo tertio, & omnes alii) ipſamet voluntas, quæ aliis omnibus potentiis imperat, non habet imperium ſuper potentiis vegetativis ſeu naturalibus: ergo nec phantaſia aut appetitus. At conformatrix eſt potentia vegetativa. Ergo phantaſia non habet imperium ſuper ea. Hoc confirmatur experientia. Etenim, quantumcunque quis velit, imaginetur aut appetat, ut facultas expultrix expellat humorem obſtruentem, aut attractrix trahat alimentum in partes tabidas, aut concoctrix concoquat ſeroſos & crudos humores in corpore abundantes, aut diſtributrix pellat humores huc vel illuc, nihil propterea plus minuſve fit; aut ſi aliqua in his propter illas contingit immutatio, illa tantum contingit propter mutuam aliquam inter eas ſympathiam, & non propter ullum unius in alteram imperium aut dominium. Secundo: Si phantaſia haberet imperium ſuper conformatrice, ſignaturæ & notæ in fœtu quam

frequentissime fierent: at fiunt rarissime: ergo.

Non potest etiam fieri per sympathiam aliquam naturalem inter eas. Nam etsi quidem non negem, quin inter phantasiam, appetitivam, & potentias aliquas naturales, ut præcipue inter motivam cordis, intercedat satis magna sympatia; dico tamen, illam sympathiam non esse inter phantasiam & potentiam fœtum conformantem: & ut esset, non posse esse tantam, quod per eam conformatrix posset dirigi & determinari ad tam varios effectus producendos, quales producere experientia est manifestum.

Quod nulla possit esse inter illas sympathia, qua una alteram sic dirigere & movere possit, probo; Quia fundamentum propter quod una potentia alteram sic movet aut dirigit, excitat ad exercitium sui actus, vel determinat speciem ejus, positum est in identitate radicis utriusque; in eo scilicet, quod utraque in eadem anima sit radicata. Propter quam identitatem radicis fit ut, quando anima per unam potentiam exercuit unam operationem, eadem per aliam exerceat aliã, ad priorem illam ordinem habentem. At quando potentiæ non sunt in eadem anima radicatæ, non possunt se mutuo movere. Ideo enim phantasia mea movet appetitum meum, & non appetitum alterius hominis,

& appetitus meus motivam cordis mei, & non alterius hominis, quia phantasia mea, & appetitus, & motiva cordis mei, in eadem anima sunt radicatæ; phantasia autem mea & appetitiva, & motiva alterius hominis in diversis. At phantasia & appetitiva patris seu matris non sunt fundatæ in eadem anima cum conformatrice fœtus: ergo non possunt habere talem sympathiam, qua possint hanc dirigere & movere. Minor probatur. Quia conformatrix vel non est potentia animæ, cum sit ab anima parentum separata, & in alio subjecto, nempe semine; vel est potentia animæ fœtus, sibi ipsi domicilium architectantis: ut puto esse ipsissimam veritatem, quam nos in libro nostro de Hominis procreatione sumus declaraturi.

Secundo; Quia, etsi phantasia parentum cum conformatrice fœtus haberet aliquam sympathiam; tamen illa non posset esse tanta, quod phantasia posset per eam determinare speciem actus conformatricis; sed solummodo tanta, quod posset excitare eam ad exercitium sui actus: quo modo aliæ ejusdem animæ potentiæ sympathiam habentes, solummodo se mutuo movere aptæ sunt. At phantasia determinat conformatricem. Ergo non per talem sympathiam.

Tertio; Quando una potentia dirigit & spe-

ſpecificat actum potentiæ alterius ſine oblatione ſpecierum, tunc non ſpecificat eam niſi determinato modo; naturales enim ſympathiæ ad aliquid unum ſunt determinatæ: at phantaſia variat & determinat actus conformatricis modis infinitis; ergo non per nudum imperium, aut aliquam ſympathiam; ſed neceſſario per ſpecies determinantes eam, quæ pariter ſunt infinitæ. Quod phantaſia variet actus conformatricis modis infinitis, ſic probo. Aſpectu & imaginatione ſimiæ, producitur fœtus habens ſimilitudinem ſimiæ; imaginatione & terrore diaboli, producitur fœtus habens ſimilitudinem diaboli; terrore galli Indici, habens excreſcentias multas diverſi coloris, ſimilitudine illius; terrore accipitris, habens ſimilitudinem accipitris; terrore muris, habens pilos inſtar muris; lacertæ, habens in pectore carneam lacertam; ranæ, habens vultum ranalem: ut in exemplis concluſione 40. allatis eſt manifeſtum. At ſicuti imaginatione illorum animalium producuntur fœtus habentes ſimilitudinem eorum; ita pari ratione, imaginatione aliorum animalium, poſſunt fœtus produci habentes ſimilitudinem eorum. Non eſt enim ratio, cur imaginatione illorum magis poſſint produci fœtus cum ſignaturis eorum, quam imaginatione horum cum ſignaturis horum. At animalia

à quibus possunt matres sic terreri, sunt infinita. Ergo & signaturæ possunt esse infinitæ. Eodem modo aspectu pulchræ picturæ producuntur fœtus pulchri; & aspectu picturæ in qua est ursus depictus, producitur fœtus similitudine ursi; in qua est Æthiops depictus, similitudine Æthiopis; in qua homo pilosus, fœtus totus pilis coopertus; in qua est depictus homo cum magno capite, fœtus habens magnum caput, ad similitudinem illius. At qua ratione intuitu illarum imaginum potuerunt produci fœtus referentes notas & similitudinem earum, eadem intuitu aliarum multarum in quibus formæ terribiles sunt depictæ, possunt deinceps etiam produci fœtus referentes similitudinem illarum. Pariter desiderio ceraſi, uvæ, mori, signatur fœtus similitudine eorum. Ergo eadem ratione desiderio aliorum fructuum seu ciborum, poterit etiam signari similitudine illorum. Et, ut uno verbo dicam, sicut terrore à re habente talem figuram, visum est fœtum produci cum similitudine talis figuræ; & terrore à pictura cum magno capite, produci fœtum cum similitudine in eadem quantitate; & terrore rei habentis partium numerum non naturalem, fœtum simili numeri vitio laborantem: eadem ratione, terrore vel desiderio aliarum rerum infinitarum, hanc vel illam figuram, quantitatem, numerum, situm partium habentium, po-

test

teſt fœtus eiſdem, figura, quantitate, numero, ſitu, variari. Hi modi ſunt infiniti. Ergo.

Quarto; Cum actus conformatricis aſſimilentur rebus imaginatis, & determinentur ſecundum eas; quid poteſt eſſe cauſa talis præciſe determinationis ad eas, niſi ipſæ rerum ſpecies phantaſia perceptæ, quæ dirigant & exemplariter moveant conformatricem, ad ſimile ei conformandum quod ipſæ indicant? Certe meo judicio non videtur aliud quippiam eſſe imaginabile.

Verum objicit aliquis non parva ac levia argumenta. Nulla potentia poteſt operari ſecundum exemplar, niſi cognitiva: at conformatrix non eſt cognitiva, quia eſt potentia vegetativa: ergo non poteſt operari ſecundum exemplar. Major probatur. Etenim exemplar dirigit indicando & monſtrando: at indicatio & monſtratio non poteſt fieri niſi cognoſcenti: ergo. Confirmatur. Si conformatrix ſit cæca, ergo non poteſt cognoſcere colorem, qui à ſpecie phantaſtica indicatur; non poteſt cognoſcere figuram, & unum ab alio diſtinguere: ſi non cognoſcit an indicetur color ruber an niger, an figura ſimiæ an urſi an accipitris; quomodo à deſiderio cerasi, à terrore viſi horrendi vulneris, poteſt in fœtu magis exprimere colorem rubrum quam nigrũ: quomodo magis exprimit figurã ſimię, cum de ſimia

fuit

fuit imaginatio, quam urſæ, quam accipitris? & contra, magis accipitris, quando fuit imaginatio de illo, quam ſimiæ, aut alterius? Confirmatur ſecundo. Si ſpecies determinaret cõformatricem, determinaret per ſuam rationem repræſentandi: ſed nihil poteſt determinari per repræſentationem, niſi quod repræſentationem cognoſcit; conformatrix repræſentationem non cognoſcit: ergo non poteſt per ſpecies determinari.

Secundo: ſi ſpecies determinaret conformatricem, ſpecies deberet recipi in potentia conformatrice; potentiæ enim determinantur ad hunc vel illum actum per receptionem ſpeciei in ſe: atqui ſpecies phantaſticæ non poſſunt recipi in potẽtia conformatrice: ergo. Minor probatur. Species ſunt medium cognitionis, & habent eſſe repræſentativum; & tales non poſſunt recipi niſi in potentia ſibi proportionata, nempe cognoſcitiva: talis non eſt conformatrix: ergo. Si enim in aliam reciperentur, jam exirent extra propriam potentiam, quod philoſophi dicunt fieri non poſſe. Confirmatur. Species phantaſticæ ſunt in anima matris. At conformatrix non eſt in anima matris; ſed vel eſt in anima fœtus, vel non eſt potentia animæ, ut dixi, ſed virtus quædam à parentibus deciſa; ſaltem eſt ſeparata ab anima parentum, quia eſt in alio ſubjecto. Ergo ſpecies non poſſunt conformatrici communicari, & in eam recipi.

recipi. Patet ſequela: quia ſic migrarent de ſubjecto in ſubjectum; & ſic ſequeretur, quod ſpecies ab una anima poſſent tranſire in aliam, & ab una potentia in aliam; & conſequenter, quod unus homo poſſet communicare ſpecies ſuas alteri homini, & imprimere eas in animam alterius, & ſic alteri conceptus ſuos communicare, & alterius cognoſcere, ſine ſignis ullis aut loquela. Hoc eſt abſurdum, & contra experientiam. Ergo.

Tertio: quod operatur ad exemplar, & præcipue operatione difficili, ſeu ad exemplar difficilis imitationis, & operatione longæ durationis, illud videtur neceſſario continua ſui exemplaris præſentia opus habere, alioqui videtur quod non poſſet illud imitari. At conformatio ad ſimilitudinem rei externæ ad quam formatrix non habet ordinem, ut urſi, diaboli, ſimiæ, &c. eſt operatio difficilis, & diuturnæ durationis, quia illa conformatio durat multis menſibus. Ergo, ſi fieret ſecundum exemplar, deberet formatrix illud exemplar continuo ſibi præſens habere; at non poteſt ſemper habere, quia ſpecies ſubito evaneſcunt; imo ſcribunt aliqui, mulieres aliquas produxiſſe aliquando fœtus ſignatos, quæ rerum, quas phantaſia cogitaverant, non habebant memoriam, nec eas multum cogitatione revolverant. Ergo. Confirmatur. Exacta conformatio

partium

partium externarum fit valde ſero, & videtur demum fieri ſub poſtremos menſes: at phantaſia concepta etiam in coitu fœtum ſignat: ergo non ratione ſpeciei phantaſticæ conformatricem dirigentis, ſed alio modo. Sequela probatur: quia ſpecies illa in coitu concepta jam evanuit, antequam perventum ſit ad ultimos illos menſes, quibus formatrix incipit ſecundum eam conformare. Ergo non poteſt eam dirigere. Confirmatur ſecundo. Si ſpecies ſic dirigerent conformatricem exemplariter, ſpecies quæ ſunt fortiores haberent vim majorem eam dirigendi & magis ſignandi: at ſpecies multo tempore imaginatione revolutæ ſunt fortiores ſubito tantum conceptis: ergo illæ deberent magis his ſignare. At contra fit; quia docet experientia, mulieres, quæ aliquid cum deſiderio & terrore ſubito quodam motu ſunt imaginatæ, magis ſignare illis quæ de aliqua re ſunt imaginatæ multis menſibus. Ergo.

Quarto: Si ſpecies phantaſticæ poſſent ſic dirigere & determinare conformatricem, videtur, quod dirigerent ſemper, & conſequenter quod omnis imaginatio, præcipue fortior, ſemper fœtum ſignaret: at non ſemper ſignat, ſed rariſſime: ergo. Major probatur: quia nulla mulier eſt, quæ tempore ſuæ prægnationis non habeat aliquando ſemel fortem de re aliqua imaginationem,

nem, aut alicujus desiderium. Sequela probatur: quia si species talis fortis imaginationis possent uno tempore, sicut altero, utero & fœtui communicari, possent uno tempore dirigere conformatricem, sicut altero; ipsa conformatrix esset uno tempore æque dirigibilis, sicut altero, fœtus uno tempore mollis & tener, sicut altero, aptus flecti ad nutum conformatricis: ergo nihil deesset ad signaturam: ergo omni tempore deberet fieri.

Sed respondeo ad primum, negando majorem. Ad probationem dico, esse quidem necessarium, ut exemplar indicet & monstret operanti modum quo debet operari, & operans cognoscat monstrationem illius: sed non est propterea necessarium, ut operans sit cognoscitivum. Pro quo est notandum, duplicem esse modum cognoscendi: unum per veram cognitionem, quo modo cognoscunt potentiæ illæ quæ dicuntur cognoscitivæ, sensus nimirum & intellectus; alterum per cognitionem naturalem, seu per instinctum, quo modo cognoscunt etiam potentiæ vegetativæ. Etenim plantæ cognoscunt & distinguunt in terra alimentum, & sibi conveniens sugunt, alio relicto; partes corporis cognoscunt suum alimentum, & una trahit bilem, alia melancholiam, alia sanguinẽ, aliis relictis, & sic cognoscunt & distinguunt illos; & distinguunt excre-

crementum contra alimentum, & illud expellunt, hoc retinent. Dico ergo, illud quod operatur ad exemplar, non esse necessario cognoscitivum per veram cognitionem, seu cognitionē proprie dictam; sed sufficit, quod cognoscat per instinctum. Conformatrix autem cognoscit exemplar per instinctum, & ideo potest operari secundum ipsum. Debet autem potentiæ conformatricis divinitati adscribi, quod sicuti alia facit opera admiranda, ita præ aliis potentiis vegetativis possit per instinctum, rudi quodam modo, cognoscere repræsentationem specierum phantasticarum.

Ad secundum respondeo; non esse necessum species illas recipi in conformatrice; sed sufficere quod sint in subjecto circa quod conformatrix versatur; in sanguine scilicet, qui est alimentum fœtus, & objectum conformatricis, vel in spiritu, qui est instrumentum ejus: eo maxime, quod species dirigant ut exemplar; exemplar autem non debet esse internum imitanti, sed sufficit quod sit præsens & propinquum. Et etiamsi dicerentur in conformatrice recipi, nihil inde absurdi sequeretur: quandoquidem non reciperentur ut medium cognitionis proprie dictæ, seu ut repræsentativæ modo cognitivo, sed modo quodam naturali; quo modo eas recipi in potentia non cognitiva nihil vetat.

Ad

Ad tertium respondetur; non esse necessarium ut exemplar sit semper præsens, sed sufficere quod sit præsens in principio conformationis, seu quando conformatrix primo turbatur in operatione naturali, & incipit operari ad similitudinem rei externæ. Quando enim dædala natura jam est conversa ad formã externam, & illam sibi imitandam proposuit, & jam de facto eã imitari incepit, potest progredi in ea, & illam prosequi, etiamsi exemplar seu species dirigens postea evanescat; nec est opus continua ejus præsentia aut directione. Quamvis tamen, si semper præsens esset, & species continuata imaginatione reiterarentur & corroborarentur, magis equidem dirigeretur, & exemplar perfectius exprimeret & imitaretur, quam si evanescceret: sicuti fieri infra quoque dicemus. At vero in primo exordio signaturæ seu non naturalis conformationis, necessum est ut exemplar sit præsens, & species phantastice sint & fortes, & ad fœtum ac conformatricem perveniant: & ideo, si imaginatio non sit fortis, non potest mulier signare. Et etsi aliquæ ediderint fœtus signatos, quæ ejusmodi imaginationis aut terroris vel desiderii non meminerint, censendum est id factum esse, non quia non habuerunt fortem imaginationem, sed quia non habuerunt actum reflexum super ea, & ad eam non attenderunt, & sic ejus non meminerunt:

aut

aut si omnino non habuerunt formem imaginationem, illas quæ in fœtu apparuerunt notas & læsiones non fuisse veras signaturas, vi imaginationis impressas, sed alias deformitates monstrosas & casuales. Certum enim est, multas deformitates contingere in fœtu, quæ non sunt signaturæ, nec fiunt vi imaginationis; sed à variis aliis causis, quæ inter causas monstrorum referuntur. Ad confirmationem dico: etiamsi exacta conformatio partium externarum serius fiat, nihilominus posse fœtum ab imaginatione matris in coitu seu primis diebus habita signari: quia primis diebus saltem sternitur à natura aliquod rudimentum fœtus formandi, & sic jam in principio fit aliqua delineatio notæ futuræ; quam inceptam deinceps natura continuo prosequitur, & paulatim succedente exactiore conformatione, magis magisque exprimit. Et sic non fit imaginatio rei alicujus in conceptu, aut primis conformationis diebus, & tribus aut quatuor demum mensibus post conformatrix incipit conformare ad similitudinem illius; hoc enim fieri non potest, quia jam species evanuisset, & sic conformatrix non amplius dirigeretur ab ea: sed statim in illo instanti imaginationis formatrix incipit errare & seduci ab opere naturali, & converti ad formam externam imaginatam; & sic statim sternit aliquod fundamentum ejus, & illud con-

continuat, & prosequitur magis minusve, prout vel speciei impressio vehemens aut debilis fuerit, vel conformatrix valida vel imbecilla. Non enim solum postremis mensibus incipit externarum partium conformatio, sed etiam primis : Omnes enim partes in fœtu simul finguntur, tam cito parvæ, quam magnæ ; tam cito externæ, quam internæ. Et etiamsi aliquæ aliis prius videantur perfectæ, omnium tamen primum rudimentum æque cito & eodem tempore incepit. Ad secundam confirmationem dico ; species impetu & subito conceptas, cum succedentibus animi passionibus magis imprimere, & magis abducere conformatricem à naturali operatione, quam conceptas lente & diuturna imaginatione.

Ad quartum patebit responsio infra, ubi de eo specialiter agemus.

Habemus ergo nunc, quomodo species phantasticæ dirigant conformatricem. Restat videre

Quomodo ipsæ ad conformatricem perveniant. Etenim cum ipsæ sint in cerebro, conformatrix vero sit in utero, & ita sint remotæ, exemplar autem debeat esse propinquum ei quod ad illud operatur ; necessum videtur esse, ut ad uterum valeant pervenire ; alioqui ex tam longinquo non possent conformatricem permutare. Pro quo est notandũ, quod si formatrix & phantasia radicarentur

rentur in eadem anima, forte non eſſet neceſſium ſpecies deferri ad locum in quo eſt conformatrix; ſed dici poſſet, unam potentiam exſiſtentem in una parte poſſe afficere & excitare in actum, & eadem ratione etiam determinare & dirigere, aliam potentiam exſiſtentem in alia parte remota, ſine delatione ſpecierum, per hoc ſolum, quod in eadem anima cum illa radicetur; quatenus cum anima per unam potentiam eſt operata in una parte, eadem, cum ſit in utraque, excitat etiam potentiam quam habet in alia parte. Verum hoc non poteſt dici de phantaſia & conformatrice. Nam phantaſia eſt in anima parentum; formatrix vero eſt potentia animæ fœtus, & ſic non habet eandem radicem cum phantaſia: & ideo phantaſia non poteſt tali ratione eam afficere & dirigere; ſed ut dirigat eam, neceſſario debet ad conformatricem deferri. Hanc neceſſitatem delationis declarat Gal. lib. de Theriaca ad Piſonem; quando, loquens de modo quo phantaſia fœtum immutat, dicit id fieri, viſu imaginem tranſmittente. Verum quomodo illa tranſmiſſio ac delatio fit, Galenus modum non declarat. Sit ergo

Concluſio XLVIII. Species deferuntur ad uterum & conformatricem mediantibus animi paſſionibus.

Hæc concluſio patebit per concluſionem ſequen-

sequentem : ideo de ea speciatim hic nihil agemus. Et sic tandem est expositum, quomodo phantasia fœtum signet. Restat inquirere, quæ phantasia signet, quando, quantum, & ubi. Docet enim experientia non omnem signare. Etenim mulieres tempore suæ gravidationis habent varias imaginationes, nec ulla est quæ non aliquando fortiter imaginetur; & tamen non omnes, neque semper signant, quinimo rarissime. Quænam ergo causa est, cur aliquando eveniat signatura, aliquando non?

QUÆSTIO XVI.

Quænam imaginatio habet illam signandi potestatem, quæ non.

Conclusio XLIX. Imaginatio cum assensu, & quam animi passiones sequuntur, potest signare: alia non.

Etenim si mulier solum nude ac simpliciter aliquid imaginaretur, ut si, exempli gratia, consideraret tabulam aliquam, in qua pulchra animalia essent depicta, vel turpia, ferocibus oculis, magnis unguibus & acutis dentibus prædita, &c. & ea solum admiraretur; aut videret verum leonem, aut ursum in cavea inclusum, quem delectationis gratia iviſſet visum; aut mendicum deformem, mutilum, ulcerosum, cui pietatis gratia medicinam faceret; aut videret multos excellentes

lentes fructus, & eorum pulchritudinem conſideraret, ſola ſimplici imaginatione & intuitu, ſine aſſenſu & inclinatione, quam ſubita ſiga aut proſecutio ſequeretur: talis fœtum non ſignaret. Sed ſi ſic videret aut imaginaretur illa, quod phantaſia in ea inclinaret, vel ea averſaretur, & inde ſequeretur actus appetitus, & animi paſſiones; tunc poſſet ſignare. Itaque ſolum ſignat phantaſia quam ſequuntur animi paſſiones; alia non.

Verum objiciet aliquis: Mulieres in hora conceptus ſolum nude imaginantes aliquid, puta pulchram vel deformem picturam, ſine eo quod intenſe deſiderent illud quod per eam repræſentatur, aut terreantur ab eo, poſſunt fœtum ſignare. Ergo ſola imaginatio ſignat, ſine animi paſſionibus ſupervenientibus. Antecedens patet exemplis. Nam quæ in hora conceptus intuendo picturam, in qua depictus erat urſus, peperit poſtea fœtum ſimilitudine urſi, non habuit illum terrorem ab illa pictura; quia ſciebat illam non poſſe eam mordere aut lædere. Quæ intuitu imaginis Ioannis Baptiſtæ in hora conceptus, peperit poſtmodum fœtum totum villoſum, non habuit terrorem ab illa imagine. Quæ inſpiciendo imaginem Æthiopis in cubiculo pendentem, produxit fœtum nigri coloris, non habuit terrorem ab ea. Omnes enim ſciverunt eſſe imagines, & nulla ſe poſſe ab eis

eis noxa effici : & tamen fœtus earum fuerunt signati per vim imaginationis. Ergo fuerunt signati per nudam imaginationem, & non propter animi passiones eam comitantes. Respondeo: Species habere rerum virtutes & imagines, & picturas non raro appetitum movere sicuti res ipsæ: & etsi ipsa imago, seu figura in imagine depicta non inducat desiderium aut terrorem sui, cum sciatur esse imago, & non res ipsa; tamen cogitatione rei quæ per eam repræsentatur sæpissime appetitus afficitur, & animi passiones sequuntur. Sic imago Christi virgis cæsi, imago mortui parentis charissimi, imago hominum miserrime trucidatorum, sæpissime inducunt dolorem, tristitiam, terrorem, metum, lachrymas, &c. imago fructuum delicatorum desiderium & appetitum; & tamen etiam illæ imagines non sunt ipsæ res. Ratio est, quia non ipsa per se imago excitat appetitum, sed illud quod per illam repræsentatur. Hoc posito, respondeo; mulieres illas signavisse, non quod territæ fuerint ab imaginibus illis per se, sed ab ipsis rebus quæ per illas demonstrabantur : mulieres autem res minimas, & rerum umbras timent. Et sicut timerent Æthiopes, si viderent, homines villosos & sylvestres, si reperirentur, ursos, &c. præcipue quæ teneriores & delicatiores sunt; ita etiam timent vel solas illarum rerum picturas, & ab iis terrorem aliquando concipiunt.

piunt. Accedit quod cum mulier tempore conceptus videt pulchram picturam, sæpe sequatur in ea cogitatio, & desiderium habendi prolem similem ei, & per illud desiderium aliquando signat. Quod si solum consideraret picturam in ratione picturæ, quod scilicet sit pulchra, sic vel sic picta, & præterea non afficeretur ullo desiderio habendi prolem similem illi; certum est, quod non signaret. Quando aliqua tempore coitus vidit imaginem ursi, potest esse quod non habuerit terrorem ab ea, quasi illa, vel ursus aliquis per eam repræsentatus, eam posset lædere vel mordere; scivit enim tantum esse picturam, & se ab ea lædi non posse, & ursum, qui per eam repræsentabatur, à se esse longe remotum: sed cogitavit quod forte per illius intuitum ejus fœtus posset signari & deturpari aliqua similitudine ejus, & sic territa fuit, & terror ille signavit: & sic de aliis. Quapropter dico, quia mulieres audiverunt, intuitum & cogitationem rerum horrendarum & turpium solere aliquando fœtus signare, ideo cum ipsæ eas vident, timere, & ea ratione signare. Quod si mulier rustica & hebes, quæ nunquam audivisset imaginationem talem vim habere, inspiceret eas, credo quod raro, & non ita facile signaret.

Sed instabit aliquis: Si mulieres signarent per hoc, quod post aspectum & imagi-

natio-

nationem rei alicujus, timerent ne illo aſpectu vel imaginatione fœtus earum læderentur, ſequeretur, quod non ſignarent per ſimplicem imaginationem, ſed per imaginationem reflexam; imaginando ſcilicet ſuam imaginationem fore noxiam, & concipiendo terrorem ab ea: atqui ſignant per ſimplicem imaginationem, & non per talem imaginationem reflexam: ergo. Minor probatur. Non enim ſignant, quia timent ne ſua imaginatio fœtum lædat, ſed quia imaginatio lædit, ideo timent; & ſic imaginationem ſignare præcedit timorem earum, & non ſequitur: & ita non ſignant per illum, nec propter ejuſmodi actionem reflexam, ſed propter imaginationem ſimplicem. Confirmatur. Oves Iacob, videndo & imaginando virgas diverſicolores, ſignaverunt fœtus ſuos: at non ſignarunt per ejuſmodi actionem reflexam, quia in brutis non eſt actio reflexa. Eodem autem modo quo illæ imaginatione virgarum ſignaverunt fœtus ſuos, eodem videntur & mulieres illæ intuitu & imaginatione picturarum ſignaviſſe ſuos. Ergo non per ejuſmodi actionem reflexam. Denique, ſi mulieres ſignarent per actionem reflexam, ſequeretur quod bruta non ſignarent: atqui ſignant, ut patet in exemplis concluſ. 40. & in iis quæ ſequuntur: ergo.

Secundo; Oves Iacob ſignaverunt fœtus

ſuos per nudam imaginationem, ſine ullis paſſionibus eam comitantibus. Ergo illæ non ſunt neceſſariæ. Antecedens probatur: quia non eſt veriſimile, oves Iacob fuiſſe deterritas ab albis virgis decorticatis: ſi enim deterritæ fuiſſent, non ibi hæſiſſent, neque coiviſſent.

Tertio; Habetur ſupra, in exemplis concluſionis quadrageſimæ, columbas producere pullos diverſi colores, ſi videant columbas diverſicoloris in columbario depictas; gallinas pariter pullos variegatos, ſi ova earum diverſis coloribus depingantur; equas hinnulos pulcherrimis maculis diſtinctos, ſi equi admiſſarii diverſis maculis in dorſo fuerint depicti; pavones pullos albos, ſi incubantibus lintea alba objiciantur; bruta in montibus nivoſis albos fœtus, imaginatione nivis albæ. In his omnibus exemplis nuda imaginatio, nullis comitata animi paſſionibus, fœtus ſignat: nullum enim illorum animalium imaginatione præſa orum objectorum videtur habere occaſionem deſiderii vel terroris. Ergo paſſiones non ſunt neceſſariæ ad ſignandum.

Sed reſpondeo ad primum, negando minorem. Ad probationem dico; Imaginationem ſimplicem poſſe quidem ſignare, & ſæpiſſime per ſimplicem imaginationem debuiſſe contingere ſignationes, priuſquam mulieres haberent ſcientiam virtutis ejus, &

priuſ-

priuſquam inciperent ſic reflecti ſuper ea, & timere eam: tamen, poſtquam jam experientia didicerunt eam ſignare, inceperunt ſuam imaginationem metuere, & metu illo cauſato, per reflexionem ſignant magis: & ita dico poſſe eas quidem ſignare per ſimplicem imaginationem; ſed magis ſignare, ſi accedat reflexio. Et hæc eſt ratio cur frequentius ſignent homines quam bruta: quia homines, propter conjunctionem intellectus, habent illam reflexionem, bruta vero, propter defectum illius, carent ea. Niſi forte reflexio talis ſit, ut corrigat & coerceat actum imaginationis: quo caſu tantum abeſt ut augeat occaſionem ſignandi, ut potius impediat, ſicut infra dicemus. Ad aſſumptum ſubſyllogiſmi reſpondeo; Simplicem mulierum in commemoratis exemplis imaginationem potuiſſe ſequi animi paſſiones, ut ſupra eſt declaratum: & ideo potuiſſe eas ſignare per ſimplicem imaginationem, ſecluſa omni reflexione.

Ad ſecundum reſpondeo; Signaturam ovium Iacob fuiſſe ſupernaturalem, & ideo non eſſe mirum, ſi ea contigerit alio modo quam naturales fieri poſſunt; & ideo ex ea nihil quoad ſignaturas naturales poteſt inferri. Fuiſſe ſupernaturalem probatur authoritate Chryſoſtomi, Homilia 57. ſuper Geneſim; qui loquens de ovibus illis, dicit illud tranſcendiſſe ordinem naturæ, & mi-

raculo adſcribit: tum etiam Theodoreti commentario ſuper Geneſim quæſt. 88. dicentis, Iacobum objeciſſe ovibus virgas decorticatas, non, inquit, quod in eis confideret, ſed quod divinam opem exſpectaret. Quibus verbis indicat, illud etiam non naturale, ſed miraculoſum fuiſſe. Quod etiam tenent Coſtæus in ſuis Diſquiſitionibus, Sylvaticus in hiſtoriis, Vayrus in lib. de Faſcino, & alii. Probatur etiam verbis ſacræ ſcripturæ Geneſeos c. 31. ubi ipſemet Iacob illam ovium mutationem divinæ potentiæ adſcribit, dicens filiabus Laban, fortunam ejus invidentibus, hæc verba; Deus Patris mei fuit mecum. & poſtea, Poſtquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, & vidi in ſomnis adſcendentes mares ſuper fœminas varios & maculoſos, & diverſorum colorum: dixitque Angelus Dei ad me in ſomnis, Iacob: & ego reſpondi, Adſum: qui ait, Leva tuos oculos, & vide univerſos maſculos adſcendentes ſuper fœminas varios & maculoſos atque reſperſos: vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti lapidem, & votum voviſti mihi, &c. Quibus omnibus declaratur totum opus illius mutationis ſpeciali Dei gratia & concurſu particulari, adeoque ſupernaturaliter, eſſe perpetratum. Probatur etiam ratione. Quia ſi id naturaliter factum fuiſſet, jamdudum eandem

dem artem & alii artifices imitari, & variegatas ſic producere oves potuiſſent. At hoc nemo hactenus adhuc potuit. Ergo.

Ad tertium reſpondeo; Omnia iſta eſſe falſa & fabuloſa, & ideo nullam probandi efficaciam habere. Maneat ergo ratum, imaginationem citra animi paſſiones non ſignare. Et quæramus ulterius, qua ratione & modo illæ ad ſignandum concurrant & requirantur.

Concluſio L. Paſſiones concurrunt variis modis: primum, turbando & corrumpendo conformatricem; ſecundo, vigorando ſpecies phantaſticas; tertio & maxime, eas conformatrici applicando.

Pro quo eſt notandum, quod etſi ſupra concluſione 44. dixerim, phantaſiam mediantibus animi paſſionibus non cauſare notas & ſignaturas peculiares, præciſam aliquam ſeu ſingularem ſignationem habentes, hic vero dicam eam cauſare; propterea tamen in illis non fit contrarietas. Etenim illic non dixi abſolute animi paſſiones non concurrere, ſed ſolummodo dixi non concurrere per ſe & effective, ſive non concurrere movendo humores & ſpiritus, qui motu fortuito ſuo in membra incurſu ea effective ſignent, ſine ulla peculiari conformatricis cooperatione, permutatione & determinatione. Hic vero dico eas concurrere ſolum ut cauſam adjuvantem, & præcipue ut cau-

ſam adjuvantem, & præcipue ut cauſam ſine qua non. ut adjuvantem, corroborando & intendendo ſpecies phantaſticas : ut cauſam ſine qua non, applicando illud quod dirigit & determinat veram cauſam efficientem earum, nempe conformatricem, & removendo prohibens, per depravationem & turbationem conformatricis, cujus integritas & robur ejuſmodi directioni obeſſet. Cauſam autem effectricem veram neneo eſſe conformatricem à ſpeciebus illis directam.

Dico ergo imprimis, paſſiones concurrere turbando conformatricem. Nam quia conformatrix turbatur in ſua operatione ordinaria & naturali, ideo facile poteſt ſeduci ad aliam quam ſpecies phantaſticæ ei proponunt: quod ſi non turbaretur, ſed maneret in ſuo vigore, non ita facile ab ea poſſet avocari, & ſic non poſſet à phantaſia dirigi ad efformandum quod eſſet imaginatum. Illam turbationem præſtant animi paſſiones, agitando humores & ſpiritus matris, & per conſenſum & connexionem etiam humores & ſpiritus fœtus. Nam cum ſpiritus ſint inſtrumentum conformatricis, ſanguis ſit alimentum & materia circa quam : neceſſum eſt, ut illis per nimiam agitationem diſjectis & diſſipatis, facultas formatrix diſtrahatur, turbetur & corrumpatur ; non aliter quam artifex in operando impediretur, ſi ejus inſtrumenta

dis-

disiicerentur, & materia ad fingendum neceſſaria motu inordinato concitaretur. Niſi forte etiam dicere velimus, paſſiones animæ matris per conſenſum turbare & impedire per ſe primo actionem conformatricis, eo modo quo in corpore actiones unius potentiæ ſæpe impediunt actiones alterius, & præcipue animi paſſiones actiones fere omnium aliarum potentiarum. Quod tamen, propter diverſitatem radicis & ſubjecti inter paſſiones matris & conformatricem fœtus, minus verum videtur.

Dico ſecundo, etiam concurrere vigorando & fortificando ſpecies phantaſticas. Poſſunt autem eas fortificare variis modis; vel per hoc, quod ſupervenientes imaginationi, faciant ſpecies ejus eſſe efficaciores in movendo & afficiendo conformatricem, quam fuiſſent antea ſi ipſæ non ſuperveniſſent; vel per hoc, quod faciant eas longius ferri & irradiare per ſanguinem & ſpiritum vitalem, quam ſine ſuperventu earum irradiare potuiſſent; vel ſaltem, quod faciant eas fortius imprimi eis; vel forte etiam, quod eas ita modificent & diſponant, ut valeant conformatricem afficere & dirigere, quod ex propria ſua natura antea facere non potuiſſent. Etenim quod ſpecies ſuperventu animi paſſionum fortificentur, & efficaciores fiant in movendo, ex eo patet, quod illæ fortius in memoriam imprimant,

quæ cum illis, quam quæ ſine illis ſunt conceptæ. Quæ enim ſunt impreſſæ quantumcumque forti vel diuturna imaginatione, facile tamen adhuc tandem evaneſcunt, ſi nullę animi paſſiones eam ſint comitatæ: quæ vero cum magna aliqua ira, timore, gaudio, aut terrore, &c. ſunt impreſſæ, illæ perpetuum hærent, & nunquam fere obliterantur.

Dico tertio, etiam concurrere & maxime, applicando ſpecies potentiæ conformatrici; quæ cum alioqui ſint in cerebro, neceſſum eſt ut ad uterum perveniant, ut conformatricem dirigere poſſint. Sed dubium eſt, qua ratione id facere poſſint. Marſilius Ficinus lib. 13. de immortalitate animæ cap. 1. dicit hoc fieri vibratione ſpiritus per nervos; quatenus, inquit, dum vehemens cogitatio ſpiritus vehementer movet, formam quam continua imaginatione revolvit, fœtui imprimit. Verum ille modus non eſt ſimpliciter verus: quia à matre ad fœtum nulli nervi feruntur, & ideo non poſſunt ſpecies à cerebro matris recta per nervos ad fœtum deferri. Fœtus enim cum matre ſolum habet communionem & colligantiam per vaſa umbilicalia: at inter vaſa umbilicalia non ſunt nervi, ut docent omnes anatomici. Ergo. Quapropter dico, propter actum appetitus & animi paſſiones, quæ phantaſiæ conjunguntur, ſpecies in remotas partes irradiare. Quando ſignatura fit propter imagi-

natio-

nationem habitam in hora coitus, ſpecies irradiant recta per nervos in teſtes, & ſemini immediate imprimuntur; quod ſemen cum in uterum recipitur, ſecum defert ſpecies illas, & aliquanto tempore retinet, & cum formatrix incipit illud efformare, format ad ſimilitudinem earum: Quando autem fit ſignatura propter imaginationem habitam poſt conceptum, tum per nervos mediante actu appetitus ſpecies communicantur cordi, ibique ſanguini & ſpiritibus vitalibus imprimuntur, & illis tanquam ſubjectis delatæ, inde per arterias matris, & tandem umbilicales, fœtui communicantur.

At dubium eſt, quomodo ſic cum ſanguine & ſpiritibus deferantur: an illis in illo inſtanti imaginationis celeri impetu eo vibratis; an vero longo tempore poſt, ſucceſſione quadam alimenti, lente ad fœtum tractis, vel diſtributis. Certe Avicennæ mens fuit, hac ratione deferri. Etenim 5. de animalibus, dicit, imaginationem ſpiritibus cerebri ſpecies imprimere; ſpiritus illos miſceri ſanguini, qui ſit alimentum fœtus; illum tum imprimere ſpeciem fœtui. Hunc ſequitur Citadinus lib. 3. ſi per art. parv. cap. 15. & plerique alii. Verum hæc opinio non eſt vera. Nam, ut fiat ſignatura, & ſpecies poſſint conformatricem dirigere ac ſeducere, requiritur ut ipſæ ſint fortes & efficaces in exemplificando; requiritur ut repen-

te & subito occurrant, quo vehementem facere possint impressionem; requiritur ut humores & spiritus vehementer agitentur, ut sic formatrix turbetur, & interpellatur in conformatione sua ordinaria & naturali. At si illo modo deferrentur, quatenus scilicet sanguis & spiritus cordis, cui fuerunt impressæ, paulatim pro alimento, successione quadam ejus quod est exhaustum, versus fœtum distribuerentur, priusquam illi lenta illa distributione ad fœtum perveniissent, jam species illæ essent factæ evanidæ, & essent extinctæ, & nullo impetu, sed lente ad fœtum pervenirent, & nulla adesset humorum aut spirituum vehemens agitatio; & ideo non posset formatrix ab iis affici, seduci aut dirigi. Quapropter debent deferri subito & impetu quodam, & in illo instanti imaginationis, quo animi passiones adhuc durant, & humores spirituſque susque deque violente agitantur. Ita ergo deferuntur. Propter sympathiam cerebri & cordis, appetitus & potentiarum cordis, communicantur cordi, & sanguini & spiritibus imprimuntur: eodem momento insurgens motiva cordis agitat spiritus & humores, & impellit in varias partes, maxime uterum & fœtum: illi ita impulsi secum deferunt species, quas in corde hauserunt. Et hac ratione maxime potest fieri signatura. Etenim species tum sunt fortes, & ideo fortiter exemplificant: sunt enim recentes,

&

& per concomitantes animi passiones fortificatæ, & sic efficacius seducunt & dirigunt conformatricem: sunt subito & impetu delatæ, & ita magis imprimunt: agitati sunt humores & spiritus fœtus, & ita formatrix in opere ordinario & naturali turbatur, & sic facilius ab eo seducitur, & dirigitur ad exemplar illarum. Propter complures autem causas, magis versus uterum & fœtum, quam versus alias partes, humores & spiritus eliduntur. Prima; quia illi solent magis moveri versus partes calore abundantes: calor autem eo tempore circa uterum maxime abundat. Secunda; quia in animi passionibus natura mittit humores & spiritus in auxilium partium laborantium & egentium, & maxime earum de quibus maxime est sollicita: est autem maxime sollicita de fœtu, & ideo mittit eo. Tertia; quia in agitatione humorum eo maxime spiritus & humores feruntur, quo ferri maxime consueverunt: at toto tempore gestationis uteri maxime ferri consueverunt versus uterum: ergo in animi passionibus tunc maxime eo feruntur. Cui accedit, quod versus eum viæ tunc sint maxime dilatatæ, unde magis aliis admittunt & suscipiunt humores concitatos. Quarta causa est, quia, uti conclusione 24. est ostensum, phantasia habet vim directoriam spirituum & humorum: hinc, quia matres aliquid inopinato videntes aut ima-

imaginantes, ſtatim cogitant de fœtu ſuo, & timent ei, & ita imaginantes res externas coimaginantur fœtum ſuum, fit ut, per iſtam fœtus coimaginationem, ſpiritus per animi paſſiones concitati, magis verſus fœtum quam verſus aliam partem dirigantur.

Verum objiciet aliquis, Mater non videtur dirigere imaginationem, aut ſpecies imaginatione perceptas, verſus fœtum ſuum, quia nulla eſt mater quæ deſideret fœtum ſuum notatum, ſed toto animo nititur avertere eas, & alio dirigere. Ergo imaginatio ejus non eſt directiva verſus fœtum, ſed potius amotiva ab eo.

Secundo: Paſſiones animi, per quas plerumque fœtus ſignantur, ſunt timor & terror: at tales non ſunt motivæ humorum & ſpirituum à corde verſus uterum; non enim ſunt motivæ ad extra, ſicut ira & gaudium, ſed ad intra: ergo illæ non ſunt cauſa ut humores & ſpiritus, & conſequenter ſpecies eis impreſſæ, à corde ad uterum deferantur, ſed potius contra.

Sed reſpondeo ad primum; illam directionem fieri à phantaſia, non pro voluntate noſtra, ſed inſtinctu quodam & proprietate naturali: & ideo fieri nobis nec eam intendentibus, nec fieri volentibus. Sic videmus homines de oſcitando, mingendo, egerendo, comedendo, coeundo cogitantes, irritari & inclinari ad illas actiones obeundas, etiamſi

etiamsi illi inclinationi resistere, & eam quam maxime arcere velint; humoribus nimirum & spiritibus illas partes, à quibus illæ actiones exercentur, etiam contra voluntatem directis.

Ad secundum infra conclusione 51. patebit responsio. Sed quæritur

QUÆSTIO XVII.

Cur non omnis imaginatio, quam animi passiones sequuntur, signat.

REspondeo, varias esse causas. Etenim ad hoc ut signatura fiat, multa requiruntur, in quorum aliquo si fuerit defectus, illa non eveniet. Primum enim requiritur ut species sint fortes; ut ad uterum & fœtum perveniant; ut subito & impetu conformatrici offerantur; ut conformatrix sit debilis & facile seducibilis ab eis; ut materia, ad exprimendum id quod imaginatione percipitur idonea, sit in promptu, &c. Hæc raro simul omnia coincidunt, & ideo quam-rarissime contingit signatura. Quando itaque potentia phantastica naturaliter est debilis, vel imaginatio tempore prægnationis non est intensa, non fit signatura; quia tum species sunt debiles, nec longe irradiant, nec fortiter exemplificant. Quod si mulieres aliquando produxerint fœtus maculatos, quæ nullam fortem habuerunt imaginationem,

cen-

censendum est tales notas aut maculas non fuisse veras signaturas; sed tantum fuisse deformitates monstrosas, casuales & fortuitas, ab alia peculiari causa, & non ab imaginatione, profectas. Mulieres fortes, prudentes & animosæ non facile signant, quia tales non facile timent, aut terrentur à rebus parvis; nec leviter aut stulte quasvis desiderant: & cum passiones aliquæ earum imaginationem sequuntur, non sunt intensæ, quia à ratione coercentur. Hinc species nec vim nec impetum acquirunt, nec corporis humores aut spiritus immoderate concitantur, nec conformatrix turbatur aut distrahitur. Quando semen est validum, & facultas formatrix robusta, minus etiam contingit signatura, quia talis manet constans in operatione sua naturali, nec ab ea facile abducitur per species imaginatas. Porro non omnes etiam animi passiones signant, sed certæ quædam & determinatæ, & eæ quidem certo quodam & determinato modo moventes. Si enim humores versus uterum non moveantur, vel moti non perveniant, vel ad alia membra dirigantur, quod ob varias causas fieri potest, nihil fit. Species enim tum non approximantur conformatrici, ac proinde non afficiunt eam. Huc multum faciunt & humorum & spirituum crassitudo, & inobedientia ad motum; propter quas nec ipsi ita longe vibrari, nec ita facile spe-

cies

cies eis imprimi possunt. Si humores alimentarii fœtus corrupti sint & pravi, sic ut minus obediant plasmationi formatricis; quia tum ipsa facilius potest avocari ab opere suo naturali, & abduci ad directionem phantasiæ, signatura fiet facilius. Quibus materia ad exprimendum illud quod est imaginatum idonea supperit, iis quoque facilius fit. Sic si mater fuerit imaginata hominem altero crure carentem, facilius fœtum similem producet, si fœtus laboraverit defectu alimenti, quam si abundaverit. E contra, si imaginata fuerit hominem cum magno capite aut quatuor cruribus, facilius similem producet fœtum si materia superabundaverit, quam si defuerit. Sic facilius producet villosum, in cujus corpore abundaverint humores fuliginosi, pilis generandis idonei; facilius rubris maculis præditum, quæ fuerit sanguinea; lividis, quæ melancholica; flavis, quæ cholerica, &c. quam quæ contra. Denique, facilius signabit illa imaginatio, quæ cum fuerit in principio intensa & subita, & magnis animi perturbationibus comitata, insuper adhuc multo tempore fuerit continuata, quam quæ in momento cessaverit. Et pariter magis quæ habuerit conjunctam reflexionem, seu coimaginationem & sollicitudinem de fœtu, quam quæ fuerit simplex, & illa caruerit. Porro, cum dictum

ctum sit phantasiam signare propter animi passiones, quæritur

QUÆSTIO XVIII.

An omnes animi passiones signent.

SEu an phantasia signet cum omnibus, an cum aliquibus tantum; & quænam illæ sint. Pro quo sit

Conclusio LI. Maxime signant desiderium & terror.

Hæc conclusio probatur, imprimis communi opinione hominum, qui credunt illas passiones vel maxime vel solum signare. Probatur etiam experientia & exemplis conclusione 40. allatis; quibus manifestum est, fere omnes signaturas ibi commemoratas propter alterutram illarum passionum, & nullas fere propter alias, contigisse.

Quod vero imprimis desiderium concurrat ad signandum, mirum non est: quandoquidem & mulieres gravidæ frequentibus & intensissimis variorum ciborum desideriis teneantur, ut patet in pica; & desiderium habeat vim movendi humores & spiritus ab intro ad extra, adeoque ad uterum, qui respectu cordis inter partes externas est habendus. Qua ratione facere potest, ut species imaginatione perceptæ utero & conformatrici facile communicentur.

Potest tamen dubitari, an ipsum desiderium

rium per se faciat signaturas, an vero aliæ passiones ipsum aliquando comitantes. Etenim communis opinio hominum est, fœtus signari, non quando mulieres simpliciter aliquid desideraverint, sed quando desideraverint id quod potiri non potuerunt. Quo videtur colligi signaturam fieri, non propter desiderium, sed potius propter iram, indignationem, aut tristitiam aliquam desiderium sequentem, quam concipiunt ex rei desideratæ negatione. Nam si ipsum desiderium per se signaret, videtur quod tam bene signaret quando res desiderata esset obtenta, quam quando non esset obtenta. Sed respondeo, videri desiderium per se signare, & simplex desiderium posse signare, etiamsi ipsum nullæ aliæ passiones fuerint subsecutæ. Quod probo authoritate Hippocratis & Galeni. Etenim Hippocrates lib. de superfœtat. dicit in hæc verba: Si mulier, inquit, gravida terram aut carbones comedere desideraverit, eademque comedat, in capite pueri notæ à talibus apparebunt. Ubi dicit, non tum solum desidetium signare, cum mulier re desiderata non fuerit potita, seu cum prædictæ passiones fuerint secutæ; sed etiam cum fuerit potita, & desiderium fuerit simplex. Nam cum mulier cibos desideratos comedit, desidetium est simplex, & nullæ ex prædictis passionibus illud insequuntur. Galenus vero libro de Theriaca ad Pisonem

dicit

dicit, mulieres pulchras proles habere desiderantes, eas aliquando acquirere, si pulchras picturas intuitæ fuerint. Quibus verbis hoc saltem innuit, solum & nudum desiderium per se posse signare; & non signare propter alias passiones ipsum consequentes. Illo enim casu, quo mulieres in illum solum finem pulchras picturas intuentur, desiderium est simplex, & nullæ prædictarum passionum, iræ, tristitiæ, indignationis, &c. ipsum sequuntur. Ita alias audivimus mulieribus accidisse, ut cum ipsæ cibos aliquos tempore prægnationis intensissime desiderassent, proles earum eorundem ciborum appetitu ducerentur, & cum fastidiissent, ipsæ quoque eosdem averserentur.

Magis interim signant mulieres, cum re desiderata potiri non potuerunt, quam cum potuerunt. Ratio est, vel quia desiderium tum est maius, & sic est efficacius in signando; vel quia alio modo movet humores & spiritus, cum aliæ passiones prædictæ supervenerint, quam quando non.

Quod vero etiam terror possit signare, non est quoque mirum: quandoquidem ipse est affectus omnium affectuum maximus & efficacissimus. Est enim affectus valde repentinus, humores & spiritus summo impetu movens, & omnes animæ potentias in momento, & gravissime consternans. Hinc species phantasticæ vi-

go-

gorantur & intenduntur, & mediante humorum & ſpirituum motu longiſſime feruntur, & utero communicantur, & conformatrix in ſuo opere naturali læditur & perturbatur : quæ tria ad ſignaturam requiruntur. Quam vehemens ſit hæc paſſio, ex ſymptomatibus quæ inducit facile colligi poteſt ; quæ tanta ſunt, ut nulla alia ſimilia inducere poſſit. Ea ſunt repentinus faciei pallor, aliquando etiam tota vita adhærens ; extremorum tremor ; ſæpe ſenſus & motus omnimoda abolitio, ut homines derepente in terram cadant ; animi deliquium ; vertigo ; cordis palpitatio, aliquando toto vitæ tempore perdurans ; pilorum erectio ; teſticulorum contractio ; alvi & urinæ involuntaria ejectio ; epilepſia ; mors, &c. Habuimus ſupra aliquos præ timore una nocte canos evaſiſſe : alium ad ſupplicium ductum, ſolo linteo aqua frigida in collum percuſſum mortuum concidiſſe. Verum dicet aliquis, paſſiones animi, ſicut præcedente concluſione dictum eſt, concurrunt ad ſignaturam approximando ſpecies phantaſticas utero & conformatrici : illa approximatio fit mediante motu humorum & ſpirituum : terror non movet humores & ſpiritus à corde verſus uterum, ſed potius ab utero verſus cor : ergo non approximat ſpecies phantaſticas utero aut conformatrici, ſed potius amovet ab eis, & per conſequens non poteſt

test esse causa signaturæ. Subsumptum probatur authoritate Galeni 6. de sympt. caus. c. 5. Aristot. 27. sect. problem. 1. & 2. D. Thomæ 1. 2. quæst. 44. in responsione art. 3. qui omnes dicunt timorem, cujus species est terror, movere humores & calorem à partibus externis ad internas : Uterus respectu cordis est pars externa : Ergo.

Sed respondeo, timorem movere quidem humores & spiritus ab externis ad internas; sed peculiariter insuper eos movere à supernis ad infernas, versus intestina scilicet, uterum, vesicam, &c. & hac ratione species phantasticas utero & conformatrici approximare. Etenim animi passiones non semper movent humores & spiritus uno simplici modo, ad intra aut extra, sed diversis diformibusque. Non enim semper movent à centro ad omnem circumferentiam, aut ab omni circumferentia ad centrum : sed sæpe ab una parte magis quam ab alia, & magis in unam quam in aliam ; & aliquando movent hos humores & spiritus, seu humores & spiritus harum partium, ad intra, alios, seu aliarum partium, ad extra. Nam cum ab aliquibus partibus spiritus & humores secedũt, & trahuntur ad intra, necessum est ut in alias cedant & moveantur ad extra: alioqui vel vacuum, vel penetratio dimensionum eveniret. Aliquando eosdẽ humores spirituſq; movent motibus oppositis successive ; & quos primum

mum moverunt ad intra, eoſdem poſtea iterum movent ad extra : ut in ira & pudore patet. Et hæc eſt ratio diverſitatis effectuum, quas animi paſſiones in corpore & diverſis partibus excitant. Quod ſi omnes eodem præciſe modo moverent, & omnes quæ in fuga conſiſtunt, uno ſimplici modo moverent omnes humores ab omni parte circumferentiæ ad cor, & quæ in proſecutione, à corde ad omnes partes circumferentiæ ; eadem ſymptomata ab omnibus producerentur: at non producuntur eadem, ſed diverſiſſima : ergo.

Timorem ſic movere humores & ſpiritus & calorem à ſupernis partibus ad infernas, dare docent Ariſtoteles 27. ſect. problematum 6. 7. 8. 10. & 11. & D. Thomas 1. 2. quæſt. 44. art. 1. reſponſ. ad 1. & 3. & artic. 3. reſponſ. ad tertium : ubi dicunt, rationem cur in timore fiat pallor vultus, laborum, vocis, manuum & cordis tremor, ſitis, alvi urinæque dejectio, murmur ventris, &c. non eſſe aliam, quam quod in timore ſanguis & calor ab externis partibus ad internas, & à ſupernis ad infernas moveantur. Quatenus enim ipſi caput, pectus, manus & cor deſerunt, indeque illæ infrigidantur ; fit pallor vultus, manuum, cordis, & vocis tremor : quatenus vero deſcendunt ad partes infernas, indeque illæ incaleſcunt ; fit ſitis, ventris murmur, alvi urinæque expulſiones.

siones. Et hæc est etiam ratio, cur timor faciat abortum; ut Galenus 5. aphor. tom. 45. & 53. docet Nec potest dici, illa symptomata obvenire timentibus per hoc, quod humores & spiritus ac calor ab infernis partibus retrahantur sursum, quibus retractis musculi retentioni destinati debilitentur, & sic non valeant illa retinere, ut plerique dicunt: quia illa non exeunt propter læsam retentricem, sed potius propter stimulatam expultricem. Non enim timentibus ultronee exeunt excrementa, sed timentes irritantur & stimulantur ad expulsionem; excrementis illis humorum & caloris motum sequentibus, seu ab illis quodammodo protrusis. Sic cum abortus fit propter timorem, fœtus non exit per quandam excidentiam, defectu retentricis, sed emittitur irritatione & conatu expultricis. Pari ratione ira, etsi humores & spiritus à corde moveat ad extra, tamen peculiariter magis movet ad caput: ut docet Hippocrates 5. de morb. vulgar. c. 9. & manifeste indicant accidentia magis circa caput quam circa alias partes evenientia; ut oculi torvi, spuma oris, tremor maxillarum, faciei rubor, visus geminatus, epilepsia, apoplexia, &c. Sic multæ aliæ passiones, etsi universaliter quidem moveant humores & spiritus ad intra & extra, tamen peculiariter adhuc movent ab aliquibus par-

partibus magis, & ad aliquas magis quam ad alias.

Ad rationem cur terror magis signet aliis passionibus, etiam hoc accedit; quod diversæ passiones cum diversis partibus & diversis facultatibus peculiarem habeant consensum vel antipathiam; quo fit ut hæ has, illæ illas, tum partes tum facultates, magis moveant & afficiant. Sic ira maxime turbat mentem, timor potentiam motivam & sensitivam, tristitia vegetativas, verecundia memoriam, &c. terror vero maxime afficit & destruit potentiam conformatricem.

Accedit tertio, quod in animi passionibus humores & spiritus aliter atque aliter moveantur, pro diversitate dispositionis corporum & membrorum. Iracundia in aliquibus facit pallorem, in aliis ruborem, & sic de aliis: in his hæc, in aliis alia symptomata ab iisdem passionibus excitantur. Unde mirum non est, timorem, etsi in aliis corporibus ab externis partibus ad internas tantum humores & spiritus moveret, in gravidis tamen peculiari ratione etiam ad uterum, seu magis ad uterum aut infernas partes, quam ad alias, movere. Etenim in timore & terrore ad eas partes videtur natura maxime mittere humores & spiritus, de quibus maxime est sollicita: in prægnantibus maxime est sollicita de fœtu: itaque non ad cor tam-

tantum, ſed etiam verſus uterum & fœtum mittit. Ad quod juvat viarum laxitas, illarum partium maximus calor, conſuetudo fluendi, &c.

Dico, in concluſione terrorem & deſiderium maxime ſignare. Per quod indico etiam alias complures animi paſſiones ſignare poſſe. Puto enim omnes paſſiones valde intenſas, & ſubito obortas, ſignare poſſe. Sic imprimis puto maximum gaudium ſignare poſſe. Etenim ſi mulier aliquid magnopere deſideraſſet, quod obtinere non potuiſſet, vel ne quidem ſperaſſet; ut ſi deſideraſſet poma granata, quæ tota regione non potuiſſent inveniri, & ſubito & inexſpectato ex Hiſpaniis delata ſibi propinari videret; credo quod illo maximo & ſubito gaudio poſſet ſignare & afficere fœtum aliqua ſimilitudine illius granati. Pariter credo etiam intenſiſſimum amorem poſſe ſignare. Sic ſi mulier ex uno viro gravida, alterum intenſiſſime deperiret, videtur non impoſſibile eam continua de illo imaginatione poſſe fœtum ſignare ſimilitudine ejus. Scribit Plutarchus 5. de plac. Philoſ. cap. 12. quaſdam ſtatuas adamaſſe, & eis ſimiles proles produxiſſe. Verecūdia etiam magna ſignare poteſt. Quædam mulier gravida in menſa acquirebat maximum deſiderium comedendi de porcello aſſato prope ſe ſtante. Cum deſiderium diutius ferre nequiret, rogavit quendam

ſibi

sibi assidentem, ut sibi de capite illius aliquid ministrare dignaretur. Ipse, ut sati faceret ejus appetitui, totum porcelli caput amputavit, & orbi ejus imposuit. Cujus facti causa, cum omnes convivæ assidentes oculos in eam conjicerent, ipsa ita verecundata fuit, ut postea prolem ediderit habentem caput similitudine porcelli. Credo quod etiam ira posset signare. Sic si (exempli gratia) aliqua mulier haberet rem aliquam sibi summe charam, ut vitrum aut vascula porcellana à majoribus relicta, & domestica simia ea casu frangeret, & ipsa summe irata insequeretur eam, animo illam occidendi, & assequi non posset; credo quod ex illa intensissima ira fieri posset, quod fœtum aliqua illius simiæ similitudine signaret. Sed dubium est.

QUÆSTIO XIX.

Quenam imaginatio signet; an tantum matris, an etiam patris.

Conclusio LII. Non tantum signat imaginatio matris, sed etiam patris.

Hæc conclusio probatur authoritate. Etenim Genes. 30 ubi est sermo de ovibus Iacob, habetur, quod virgæ decorticatæ ponebantur ante oculos ovium & arietum. Ubi cum fiat mentio tam bene arietum quam ovium, videtur indicari tàm bene arietes signare, quam oves.

Secundo, probatur authoritate Aristot. sect. 10. problematum 12. ubi quærens, cur proles reliquorum animalium sint magis similes parentibus, quam hominum, dicit id esse, quia homines magis vario in conceptu sunt animo quam bruta. Prout autem, inquit, pater materque in conceptu affecti fuerint, ita partus variatur. Illis enim verbis indicat non tantum matris, sed patris imaginationem signare.

Tertio authoritate Plinii lib. 7. c. 12. ubi agens de vi imaginationis, dicit, cogitationem utriuslibet animum subito transvolantem effingere similitudinem, aut miscere. Ubi cum ponat verbum (utriuslibet) indicat tam bene imaginationem patris quam matris signare.

Accedit authoritas Avicennæ, qui 3. canon. fen. 21. tract. 1. cap. 2. sic ait; Et dixerunt quidam sapientum, & non sunt elongati à judicio possibilitatis, quod de causis assimilationis est illud quod exemplificatur, cum est dispositio in mente mulieris aut viri. Ubi cum faciat mentionem etiam viri, indicat tam bene virum quam mulierem signare.

Probatur etiam ratione. Mater potest signare in hora conceptus: ergo potest etiam signare pater. Probatur sequela: quia, quando mater signat per imaginationem in hora conceptus, tunc signat quatenus species phantasticæ per nervos communicantur semini in testi-

testibus exsistenti, & jam in coitu intumescenti & exiturienti, ut jam dictum est: non enim potest tum signare per hoc, quod species communicentur sanguini & spiritibus vitalibus, qui ad uterum & embryonem vibrentur; quia tunc adhuc non est ulla continuitas feminis cum utero, nec ullus sanguis aut spiritus adhuc semini à matre communicatur, quia necdum sunt ullæ viæ factæ, & necdum est facta ulla colligantia inter eas. Si ergo à matre species phantasticæ in hora coitus possunt imprimi semini ejus, ergo & à patre poterunt. Ergo, sicut mater potest signare per species semini impressas in hora coitus, ita poterit & pater. Dico autem patrem rarissime signare: & hoc est manifestum in exemplis. Nulla enim sunt, inter supra conclusione 40. allata, quibus mas videatur signasse. Denique, etsi audiamus frequenter fœtus fuisse signatos propter imaginationem matris; nunquam tamen audimus aliquos esse signatos propter imaginationem patris.

Rationes sunt complures. Primo; quia credo rarissime fieri signaturam in conceptu, sed semper fere post conceptum, & in tempore gravidationis: pater autem non potest signare nisi in conceptu.

Secundo; quia phantasia matrum est fortior quam patrum; eo quod in illis ipsa non sic coerceatur à ratione, sicut in viris; & quia illæ multo facilius metuunt, & à minimis

rebus gravius terrentur quam hi, qui, ob majorem rerum experientiam, melius sciunt malum à bono, & arduum à facili distinguere. Sine autem fortibus passionibus non fit signatura.

Denique, quia imaginatio mulierum in coitu concepta, multo tempore post potest continuari, unde fortificatur & magis imprimit: & si sit cum reflexione & coimaginatione de fœtu, augetur per hoc, quod species sic magis ad fœtum dirigantur. At imaginatio viri post coitum, qualiscunque fuerit, nihil amplius addit ad efficaciam signandi, quia est absens, & à fœtu separatus. Ergo. Sed videndum

QUÆSTIO XX.

An etiam brutorum imaginatio signet.

Conclusio LIII. Non tantum hominum, sed etiam brutorum imaginatio signat.

Hæc conclusio probatur primum authoritate. Etenim Aristot. sect. 10. problematum 12. & Plinius 7. histor. natur. c. 12. rationem reddentes, cur proles hominum magis sint dissimiles parentibus quam brutorum, dicunt esse hanc, quod homines magis vagam & celerem in coitu habeant imaginationem quam bruta. Ergo agnoscunt etiam brutorum imaginationem signare; etsi magis humanam. D. Augustinus lib. 28. de Civit.

Civit. Dei, rationem reddens, cur apud Ægyptios nunquam deesset bos variis maculis distinctus, quem Ægyptii Apim appellabant, & pro Deo colebant, dicit id fuisse factum virtute imaginationis vaccæ coeuntis, dæmone similes species objiciente. Quibus declarat etiam vaccas & bruta per imaginationem signare.

Probatur etiam exemplis; & imprimis ovium Iacob, quæ imaginatione virgarum fœtus similes produxerunt. Nam etsi illa signatura, ut dixi, fuerit supernaturalis; non tamen fuit supernaturalis simpliciter & absolute, sed tantum modo quodam. Non enim fuit supernaturale oves per imaginationem fortem signare: sed fuit supernaturale signare propter conspectas virgas aliquas decorticatas: seu fuit supernaturale, propter tales virgulas eas ita fortiter imaginari, quod per illam imaginationem possent fœtus suos simili colore signare. Et illa signatura fuit supernaturalis, non quod fuerit contra naturam, sed quod fuerit supra naturam. Deus enim, quando facit aliquem effectum supernaturalem, utendo causis secundis ad ejus productionem, nunquam utitur eis sic, ut ipsæ operentur contra naturam suam, sed bene ut operentur supra naturam; potentia sua divina ita eas elevando, ut effectum edant longe majorem quam sua virtute naturali edere possent. Sic ergo etiam in hoc ca-

su fecit Deus. Non fecit quod imaginatio ovium signaret, quæ alioqui per naturam suam signare nata non esset, sed fecit quod illa parva imaginatio aliquot virgularum, quæ alioqui sui parvitate signare non posset, ita attolleretur in virtute sua, quod signaret. Per hoc enim quod Iacob sic illas virgas objecerit ovibus, patet opinionem hominum tum fuisse, bruta per imaginationem signare posse. Sed, quia scivit non semper omnem imaginationem signare, ideo speravit in Domino, quod ipse virtutem debilem causarum naturalium speciali suo concursu vigoraret.

Patet etiam in exemplo Alberti Magni, gallinam signasse pullum similitudine rostri accipitrini, perterritam tempore coitus ab accipitre supervolante.

Dico interim, imaginationem brutorum minus signare quam hominum. Etenim quotidiana experientia docet, phantasiam humanam sæpe signare: de brutis raro vel nunquam id auditur. De gallina quæ produxit serpentem intuitu serpentis, de columbis producentibus pullos diversicolores, cum ova colorantur, vel cum columbæ in columbario depinguntur, de pavone producente pullos albos, cum fœmella albo linteo obvelatur, & alia conclusione 40. commemorata, certum est nugatoria & falsa esse. Et hoc est, quod dicunt Aristoteles & Plinius locis supra citatis, propter varietatem

&

& celeritatem phantasiæ humanæ tempore coitus contingentis, fœtus humanos magis dissimiles esse parentibus quam belluinos; quia, scilicet, phantasia humana fœtus sæpissime signet, & signando dissimiles faciat, belluina non item. Quod si magis signaret belluina quam humana, falsum esset humanos fœtus parentibus magis dissimiles esse belluinis. Ex quo patet manifeste errasse Valesium lib. sac. Philos. cap. 11. cum dicit, phantasiam brutorum magis signare, propterea quod sit magis corpori immersa & materialis.

Rationem, cur humana phantasia magis signet quam brutorum, tradunt iidem Aristoteles & Plinius iisdem locis; nempe quod ipsa sit magis varia & velox: & Cicero 1. quæst. Tusc. quod hominum anima sit particeps rationis, brutorum non item. Quia enim humana phantasia est conjuncta cum intellectu, ideo est fortior, nobilior & excellentior belluina: & ideo potest vehementiores inducere animi passiones, & efficacius conformatricem turbare & seducere. Saltem, quando libera est, nec per actum intellectus specialiter refrænatur. Nam quando coercetur, tantum abest ut sit fortior, aut signet, ut potius ejus signatio impediatur. Verum

Quæstio XXI.

Quo tempore fignat; an tantum graviditatis, an etiam conceptus.

Concluſio LIV. Signat & tempore conceptus, & tempore graviditatis.

Signare tempore conceptus, probatur authoritate multorum. Ariſtot. 10. probl. 12. & Plinius 7. hiſt. natur. cap. 12. dicentes phantaſiam eſſe cauſam diſſimilitudinis fœtus, loquuntur de ea quæ fit tempore conceptus. Gal. lib. de Theriac. ad Piſonem cap. 14. Plutarch. 5. de plac. cap. 11. Avicenna ſen. 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 14. D. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei cap. 25. & lib. 18. agentes de vi imaginationis circa fœtus immutationem, omnes loquuntur de illa quæ eſt tempore conceptus.

Probatur etiam exemplis. Oves Iacob ſignaverunt fœtus ſuos imaginatione quam habuerunt tempore conceptus. Mulier quæ produxit pulchram prolem intuitu picturæ, in exemplo 1. Æthiopiſſa quæ produxit fœtum album imaginatione picturæ albam faciem habentis, in exemplo 3. quæ fœtum villoſum intuitu imaginis in qua S. Ioannes erat depictus, in exemplo 6. quæ diabolica forma præditum, metu à marito diaboli forma veſtito, in exemplis 8. 9, 14. quæ fœtum ranalem timore ranæ, in exemplo 19. galli-

na

na quæ pullum cum roſtro accipitrino, metu ab accipitre ſupervolante, in exemplo 27. omnes produxerunt virtute illius imaginationis quam habuerunt tempore conceptus. Ergo.

Quod vero etiam tempore graviditatis ſignet, primum patet authoritate Hippocratis lib. de ſuperfœt. qui dicit, quod ſi mulier prægnans carbones, aut quid ſimile comedere deſideraverit, in capite pueri ejus notæ à ſimilibus apparebunt.

Patet ſecundo exemplis plurimis, ut 9. 11. 12. 13. 15. 16. 17. 21. 22. 24. & tandem quotidiana experientia, quæ docet plerumque ſignare mulieres cum jam gravidæ ſunt, ſi aliquid vel valde deſideraverint, vel ab aliquo valde territæ fuerint.

Porro imaginatio patris non ſignat, niſi tempore conceptus, quia extra illud tempus à fœtu abeſt; matris vero ſignat utroque, quia ſemper eſt fœtui præſens. Dico autem, imaginationem tempore graviditatis frequentius ſignare quam tempore conceptus. Sæpe enim ipſi audivimus mulieres tempore graviditatis à re aliqua graviter deterritas, aut aliqua intenſe deſiderantes, produxiſſe fœtus ſignatos: at tales produxiſſe propter imaginationem habitam tempore conceptus, rariſſime aut nunquam audivimus. Rationem credo eſſe duplicem. Primum, quod parentes rei venereæ operam dantes,

ita ei toti sint intenti, ut nihil aliud cogitent, & vel sit nox, vel sint sejuncti à rebus externis; & ita non habeant occasionem quid externum imaginandi, vel tale aliquid imaginandi, ex quo magnum aliquod desiderium aut terror sequi possint. At matres jam gravidæ, huc illucque euntes, & varias res externas videntes, sæpius habent occasionem ejus. Eo magis, quod sæpissime tempore gestationis uteri pica laborent; propter quam & ad animi passiones magis inclinantur, & variarum rerum desiderio & appetitu ducuntur. Secundo; quod tempore conceptus à speciebus phantasiæ impressis non statim facultas formatrix afficiatur & dirigatur; eo quod tunc adhuc non sit in actu aut exercitio suæ operationis: sed inter tempus quo species semini sunt impressæ, & illud quo formatrix incipit formare membra, aut saltem perfectius formare membra externa, mediat satis magnum intervallum; quo scilicet semen fermentatur, membranæ & vasa umbilicalia efformantur, & viscerum rudimenta sternuntur. Quo intervallo durante, species semini impressæ interim evanescunt & obliterantur: sic ut formatrix nihil ab eis moveatur; vel etiamsi moveatur, & jam de facto incipiat aliquam conformationem secundum directionem earum, postea tamen ad naturam rediens, quia embryo adhuc totus lacteus est, tener & flexibi-

xibilis, inceptam conformationem adhuc corrigit aut delet. At vero tempore gravidi-tatis est in actuali exercitio suæ conformatio-nis, & ideo tum per subortam vehementem imaginationem mox in momento permuta-tur, & statim disponitur ad variandum eam; & de facto variat, secundum exemplar speciei phantasticæ sibi recenter & vive oblatæ: & quam semel variavit, non amplius facile cor-rigit aut mutat. Etsi autem sæpius & fre-quentius signet tempore prægnationis quam tempore conceptus, tamen, quando tempore conceptus signat, videtur posse causare si-gnaturas longe evidentiores & notabilio-res, & magis à naturali statu organizatio-nis recedentes, quam tempore prægnatio-nis.

Pro quo est notandum, non quovis tem-pore posse quasvis signaturas induci: sed quasdam omni tempore, quasdam non nisi in principio. In fine prægnationis pos-sunt induci notæ in colore, in pilis; ut maculæ rubræ, aut lividæ, aut pilis con-stæ: possunt etiam produci carneæ aliquæ adnascentiæ & tubercula, fragri, uvæ aut ceras similitudinem habentia: potest etiam magnitudo aut parvitas alicujus membri ad-huc mutari, natura hanc vel illam partem magis minusve nutriente, & magis minusve sanguinem alimentarium ad eam trahente. Et sic mulier quinto aut sexto mense deterrita

à pi-ad

à pictura vel homine enorme caput vel pedem habente, posset adhuc producere fœtum similem earundem partium magnitudinem habentem. Posset etiam adhuc nonnihil partium figura mutari. Ut, si iisdem mensibus mater terreretur à porco, simia, cane, posset adhuc producere fœtum aliqualem cum illis animalibus secundum faciem similitudinem habentem; saltem quoad partes carnosas, quæ necdum sunt induratæ: sic quod labra adhuc possent prominere per modum porcelli, aut canis, &c. Verum totalis mala capitis conformatio, qua caput fieret notabiliter simile porco vel simiæ, etiam quoad ossium figurationem, sic quod notabiliter fieret oblongum, &c. non posset sub postremos menses fieri, sed solummodo primis. Nam postremis mensibus ossa jam sunt conformata & indurata: quæ autem natura semel conformavit & jam sunt indurata, ea non potest amplius mollefacere, extendere, vel incurvare; sed sicut in principio facta fuerunt, ita necessum est ut permaneant deinceps. At in primis mensibus adhuc sunt tenera & flexibilia; itaque possunt adhuc mutari, & aliter atque aliter conformari. Sic postremis mensibus nulla etiam potest fieri circa numerum, vel ipsius fœtus, vel membrorum ejus, variatio: sed si quæ per vim imaginationis fieri potest, ea tantum fieri potest in principio conformationis;

nempe

nempe vel in conceptu, vel primis menſibus, vel forte tantum etiam primo menſe, aut primis diebus. Nam quando conformatrix delineavit ſemel fœtum, non poteſt amplius illum dividere, ſic ut ex eo fiant bini: nec poteſt decurſu temporis ex reſiduo ſeminis facere alterum. Quia, quando jam primis diebus ex melio·e ſeminis parte ſemel fœtus unus eſt circumſcriptus, reſiduum ejus quod in principio non fuit vivificatum acueſcit, & manet deinceps inidoneum ad alterius ſecundi fœtus conſtitutione·m. Et eodē modo, quando conformatrix ſemel delineavit fœtum cum duobus cruribus, duobus brachiis, uno capite, & præcipue jam produxit ad aliquam perfectionem, non videtur poſſe illam delineationem permutare, & facere ut alterum caput, aut nova brachia, aut crura, per modum cujuſdam novi ſurculi enaſcentis, erumpant & pronaſcantur. Maxime, cum conſtet in generatione hominis non unam partem enaſci ex alia, nec brachia aut crura enaſci ex trunco corporis, nec nervos, arterias, venas, è cerebro, corde, aut hepate, aut digitos ex trunco manus, ſicut naſcuntur ramuli ex trunco arboris; ſed omnes æque ſimul & æque primo delineari: & tam cito delineari & naſci brachia quam corpus, digitos quam manum, venas capillares quam ipſum magnum caudicem earum, extremum nervi quam illius principium, &c. & omnia

mnia ſimul perfici & adoleſcere. Omniũ maxime, quando natura jam conformaſſet fœtum cum numero plurali partiũ, non videtur quod poſſet poſtea eum producere cum numero minore: & ſic quando fœtus jam eſſet conformatus cum duobus cruribus, etiamſi poſtea mater videret hominẽ cũ uno crure, & ab eo ſummopere deterreretur, nõ videtur quod poſſet ſic ſignare fœtũ ſuum, quod prodiret cum uno. Nam ubi remaneret alterum? Facultas nutrix non poſſet illud amputare; non poſſet etiam corrumpere, cum ejus non ſit partes corrumpere, ſed facere: itaque ut remaneat neceſſum eſt. Quamvis fieri poſſet, quod minus altero nutriretur, & ſic minus illo relinqueretur. Sic quoque quando partes jam eſſent ſitu & ordine ſuo recte conformatæ, phantaſia non poſſet facere quod illæ tranſponerentur: & ideo, ſi mater poſtremis uteri menſibus caſu videret picturam aliquam deformem, aut monſtrum, in quo crura prodirent à ſcapulis, & brachia ex natibus, nunquam poſſet ſua imaginatione efficere quod fœtus ejus cum ejuſmodi deformitate naſceretur. Ex quo patet falſum eſſe quod refert Gemma exemplo 13. mulierem quandam gravidam, imaginatione trium regum, tres proles produxiſſe; & quod refert Langius in exemplo 16. aliam, propter deſiderium trium morſuum in humero piſtoris, & unum denegatum, tres peperiſſe proles, quarum una mortua erat: vel

ſaltem

saltem fuisse casuale, & non imaginationi adscribendum. Signaturæ evenientes post conceptum, tempore nimirum graviditatis, maxime contingunt circa tertium mensem. Ratio est, quia tum mulieres propter menses retentos, & putridos vapores in stomachum & cerebrum adscendentes, solent laborare pica, & variis & inordinatis desideriis & appetitibus moveri: & tum phantasia magis depravatur, & cõformatrix debilitatur, & fœtus quoad externas & carnosas partes, circa quas signaturæ eveniũt, magis perficitur & elaboratur.

Circa signaturam brutorũ dico, post ovi productionem pullum nulla matris imaginatione amplius posse signari: & ideo falsum esse, quod dicunt nonnulli secretorũ & agriculturę scriptores, pullos produci varii coloris, si ova inter excubandũ variis coloribus depingãtur; aut matri excubantis oculis panni variorũ colorum objiciantur: & pariter quod scribit Barthol. Medina supra in exẽplo 30. gallinã productură serpentẽ loco pulli, si excubantis oculis serpens cancellis inclusus perpetuo objiciatur. Postquã enim ovũjam in lucẽ editum est, gallina excubans nullam amplius vim ei impertit prẽter calorẽ; quo solo formatrix intus sopita excitatur. Quod ex eo patet, quod, teste Arist. 6. hist. animal. cap. 2. in Ægypto non sub gallinis, sed sub terra & in fimo, & in aquis calidis, & teste Scalig. exercitat. 23. super furno ova soleant excubari: tum

tum etiam ex eo quod ova sæpe excubentur ab ave alterius speciei, & propterea tamen pulli exinde prodeuntes, in natura sua aut effigie in nullo mutentur. Quod si gallina incubans virtutem aliquam ovis impertiret, necessario illi aliquam similitudinis aut proprietatis illius umbram referrent. Quæritur

QUÆSTIO XXII.

Quantam permutationem possit in fœtum inducere, & quas signaturas possit causare.

VIdetur enim quod possit quamlibet. Nam cum phantasia signet per hoc, quod species ejus dirigant conformatricem, & conformatrix per modum exemplaris sequatur eas, species autem rerum sint infinitæ, & sic infinitis modis possint conformatricem dirigere, & conformatrix videatur ex se esse indifferens ad omnem directionem, & tam bene dirigibilis ab hac specie ad conformandum, hoc, quam ab illa ad conformandum illud; videtur quod nullam non signaturam possit producere, & ad nullam non similitudinem fœtum permutare.

Confirmatur. Conclusione 40. exempl. 3. 6. 13. 18. 20. 24. 26. 29. 32. ostensum est, phantasiam posse mutare colorem. Qua autem ratione potest mutare colorem ad unam differentiam, eadem ratione videtur & posse

posse mutare ad aliam: & sicut in illis exemplis patet, quod produxerit colorem album, nigrum, rubrum, purpureum; ita videtur etiam quod possit producere flavum, viridem, &c. Tam enim est formatrix dirigibilis à specie unius coloris ad producendum illum colorem, quam à specie alterius ad producendum illum. Ergo potest in fœtu causare omnem colorem.

Denique patet in exemplis, quod possit producere varias excrescentias & adnascentias externas, & substantias diversæ speciei. Nam in exemplo 5. & 7. & 24. produxit pilos in variis partibus & toto corpore: in exemplo 7. ungulas instar ursi: in exemplo 9. & 22. cornua: in exemplo 9. 18. 20. 22. excrescentias carneas: in exemplo 10. testas concharum, &c. Ergo videtur quod posset quasvis alias excrescentias & substantias producere; & quod eadem ratione posset producere fœtum cum alis & plumis, instar avis; cum squamis, instar piscis; cum ungulis, instar equi; cum cauda, instar brutorum, &c. Tam enim videtur species avium & plumarum efficax esse ad dirigendum conformaticem ut producat plumas, quam species ursi ad dirigendum ut producat pilos, & species diaboli ut producat cornua, & species caudæ ut producat caudam, & species lacertæ ut producat lacertam; & sic de cæteris.

De-

Denique, potest phantasia in fœtu facere mutationem circa numerum. Nam in exemplo 11. producebantur gemini, imaginatione duarum mulierum capitibus collisarum: in exemplo 13. tergemini, imaginatione trium regum: in exemplo 16. iterum totidem, desiderio trium morsuum in humero pistoris: in 21. unum labrum. Ergo videtur posse causare omnem numeri mutationem, & ad excessum & ad defectum, tam in partibus quam in toto fœtu; & per consequens posse esse causa septem, octo, decem prolium, imo trecentorum sexaginta quatuor, ut accidit in comitissa Hollandiæ, de qua Ludovicus Vives, Erasmus Roterodamus, & Abrahamus Ortelius in topographia Flandriæ, meminerunt; & etiam posse esse causa quatuor crurum, quatuor brachiorum, duorum capitum, unius cruris, &c. Nam qua ratione potest mutare numerum ad tria, eadem potest & ad sex, & ad decem: & qua ratione potest mutare numerum in toto fœtu, eadem & in singulis membris: & qua ratione potest causare defectum labri, ut in exemplo 21. eadem posset & causare defectum brachii vel alterius alicujus partis.

Potest etiam facere mutationem in figura. Sic in exemplo 1. & 2. mutavit ad similitudinem picturæ & statuæ: in 4. ad similitudinem anchoræ: in 7. ad similitudinem ursi: in 8. 9. 10. 12. ad similitudinem diaboli, mytuli,

uli, cinguli, ocreaꝝ, marſupii, campanulę, &c: in 19. ad ſimilitudinem ranæ: in 20. ad ſimilitudinem fragrorum & ceraſorum: in 22. ad ſimilitudinem lacertæ: in 23. ad ſimilitudinem ſimię: 27. ad ſimilitudinem accipitris: 30. ad ſimilitudinẽ ſerpentis. Ergo conſequenter poſſet permutare ad cujuſvis alterius figurę ſimilitudinem. Et ſic videtur quod mulier per ſuã imaginationem poſſet producere fœtũ inſtar leonis, tigridis, piſcis, & elephantis: ut fertur de Alcippe, quæ dicitur peperiſſe elephantũ.

Poteſt etiam facere mutationem in quantitate. Sic in exemplo 15. mulier produxit fœtum cum prægrandi capite, territa ab imagine in qua figura cum magno capite erat depicta.

Poteſt etiam facere mutationem in ſitu. Nam in quo ſitu ſigna aliqua apparuerunt in re imaginata, in eodem eadem ſæpe in fœtu exprimuntur: uti evidenter patet in exemplo 3. 14. 22. &c. Sic in exemplo 14. mulier produxit fœtum realiter vulneratum, aſpectu & terrore hominis vulnerati: in exemplo 11. produxit duos fœtus capitibus connexos, terrore concepto ex ſui capitis contra alterius mulieris caput colliſione, &c. Quapropter, cum phantaſia poſſit cauſare quemvis colorem, producere quamvis ſubſtantiam, mutare fœtum ſecundum omnem numerum, figuram, quantitatẽ, ſitum partium; ſequitur etiam poſſe quamvis in fœtu facere permutationẽ, & nullam eſſe ſignaturã imaginabilem, quæ non poſſit ejus virtute produci. Sit

Con-

Conclusio I.V. Phantasia non potest facere aliam mutationem in fœtu, neque alias causare signaturas, quam ad quas materia corporis est apta duci, & ad quas facultas formatrix habet ordinem naturalem.

Quapropter etsi species phantasticæ omnes sint quidē ex se æque natę dirigere conformatricem, tamen ipsa conformatrix non est propterea nata omnium directionem & repręsentationē sequi. Etenim formatrix nō potest formare quicquā, nisi ad quod formandū habet materiā idoneam. Ex quovis enim non potest fieri quodvis, sed tantum ex materia apta & disposita. Denique, etsi esset materia disposita, tamen adhuc etiam ipsa non potest quicquam conformare, nisi ad quod conformandum habet ordinem & inclinationem, ac instinctum naturalem: ad quod autem non habet ordinem, illud non potest conformare. Et sic formatrix humana non potest generare leonem, aut piscem, aut plumas, aut squamas, aut vera cornua, &c. quia nullum habet ordinem ad illa, nec habet ullum instinctum aut scientiam naturalem faciendi ea. Denique, quia etiamsi formatrix aliquando secundum aliquid & ruditer possit imitari id quod species phantasticæ ei repræsentant, tamen nunquam potest imitari perfecte. Nam etsi ab iis aliquando parum turbetur in suo opere ordinario & naturali, & leviter aberret, sequendo exemplar phantasiæ;

siæ tamen nunquam in totum superatur aut removetur ab eo, sed semper ille instinctus naturalis prævalet directioni specierum, & semper redit ad naturam suam: & ita etsi in minutis aliquo modo aberret, tamen secundum totalem conformationem semper sequitur suum instinctum.

Dico itaque imprimis, phantasiam non posse mutare speciem aut genus fœtus. Sic desiderio cerasorum aut fragorum non possunt in fœtu produci vera fragra; quia in corpore non est materia apta ut fiant cerasa aut fragra. Desiderio, terrore aut imaginatione casei, lapidis, ligni, auri, non potest generari fœtus caseaceus, lapideus, aureus; quia non est materia apta productioni eorum. Non potest etiam produci verus piscis, serpens, avis, simia, canis, leo: primo, quia materia seminis non est apta ad talem organizationem, aut talis formæ susceptionem; secundo, quia formatrix seminis humani non habet instinctum aut naturalem scientiam organizandi, sicut debent organizari illa animalia, neque producendi formam essentialem illorum, sed tantum humanam, à qua est desita, & cum qua habet similitudinem. Et ita falsum est, quod supra dixit Medina, gallinam serpentem producturam, si ovis incubans serpentem ante se positum continuo inspexerit.

Dico secundo, per imaginationem non posse

posse etiam produci fœtum illis animalibus perfecte aut fere perfecte similem. Imo dico non posse produci fœtum, cujus vel solum caput, vel soli pedes, vel brachia, aut aliæ partes habeant perfectam similitudinem cum illis. Nam sicut formatrix non habet ex se scientiam aut instinctum formandi perfecte totum animal specie distinctum, ita non habet etiam scientiam formandi aliquam partem solam. Qua enim ratione posset effingere, modo unã partem illius animalis in uno homine, modo aliam in alio, eadem posset & in tertio homine effingere omnes, & totum animal: at non potest totum, ut dictum est: ergo nec partem ejus. Neque sufficit directio phantasiæ: quia, etsi phantasia possit ejus actionem naturalem parum immutare, & paululum seducere à perfecta hominis similitudine ad aliqualem similitudinem rei imaginatæ; tamen non potest immutare & seducere in totum, nec potest superare instinctum naturalem ejus, sed ipsa semper revertitur ad illũ, & secundum illum semper maximè, & magis principaliter operatur, & totũ efformat. Phantasia enim est solum dirigens: quod autem dirigit, tantum modũ addit actioni, nõ autem totam essentiã ejus potest permutare. Unde quomodocunq; conformatrix dirigatur, non potest sic dirigi, ut dirigatur extra semitam totalem suæ aptitudinis & inclinationis naturalis.

Dico tertio, phantasiam posse mutare secun-

cundum quid figuram fœtus, seu aliquarum partium ejus: & dico phantasiam facere posse ut fœtus aliquo modo & ruditer ad figuram alicujus animalis perm utetur, puta simiæ, porcelli, canis, &c. id est, potest facere ut mulier deterrita à cane vel simia producat fœtum habentem caput, quod quidem principaliter sit simile capiti humano, sed tamen aliquo modo referat caput canis aut simiæ; ut quod sit prominens aut oblongum, aut alicubi pilis consitum, sicut caput canis; vel planum, certis quibusdam lineamentis, prominentiis aut cavitatibus simiæ effigiem referens. Hoc enim non est contra naturam conformatricis humanæ. Quia etsi tale caput habeat aliquam similitudinem cum capitibus illorum animalium, principaliter tamen est caput humanum. Formatrix enim humana non est præcise determinata aut alligata ad aliquam certam figuram, sed habet suam latitudinem sub qua potest formare capita cum variis figuris, alia sic, alia aliter; & faciem unius hominis sic, alterius aliter. Et ita sæpe etiam citra concursum phantasiæ, facit in uno homine aliquando faciem habentem similitudinem aliquam cum simia, in alio cum cane, in alio cum rostro accipitrino, &c. Et ideo, quando à phantasia seducta aliquando efformat ad similitudinem illorum animalium, nihil facit contra naturam, inclinationem aut potentiam suam;

& ideo potest tales figuras aliquando ruditer imitari. Et hoc est potentiæ seductæ & errantis. At eas perfecte & quoad omnia assimilare, sic ut videantur esse vera capita illorum animalium, est impossibile. Quia hoc non fieret à formatrice ut errante; sed deberet fieri ab ea ut operante ex arte & industria naturali, & tanquam habente peculiarem potentiam & scientiam naturalem ad ea conformandum: quem instinctum non habet formatrix generis humani, sed solummodo brutorum. Porro phantasiam adhuc quoad multa alia figuram fœtus posse permutare, exemplis conclusionis 40. est manifestum; etsi D. Thomas part. 3. quæst. 13. art. 3. ad tertium, negaverit. Sed puto ibi D. Thomam non tam loqui de vi quam imaginatio habet in fœtum, quam potius de ea quam habet in corpus proprium. In proprio enim corpore non potest figuram permutare, quia in eo jam figura facta est, & destrui non potest; in corpore vero fœtus potest, quia in eo jam tantum adhuc est in fieri, & ideo à phantasia conformatricem dirigente adhuc potest variari.

Dico quarto, posse mutare colorem, & producere varias maculas: tamen non posse producere maculas omnis generis, sed tantum tales quales humores corporis sunt apti inducere; præcipue autem rubras, purpureas, quæ à sanguine fiunt, cum is ubique & maxime

xime abundet ; interdum etiam lividas & flavescentes. At perfecte virides, cæruleas, flavas non potest ; quia nulli sunt in corpore humores qui eas causare possunt. An autem tales maculæ possint produci toto corpore, & an Æthiops virtute imaginationis possit producere fœtum perfecte album, aut alba perfectum Æthiopem, ambigo. Ego credo quod non. De exemplis postea dicemus. Sic ergo desiderio vini, cerasi, mori, terrore vulneris, &c. posse maculas similis coloris fœtui imprimi non est ambigendum.

Dico quinto, posse causare pilos & excrescentias in variis partibus. Et hoc est experientia manifestum, & nihil est miri ; facit enim etiam sæpe citra concursum imaginationis ; ergo. An autem possit facere toto corpore hirsutos, posset dubitari : quia non videtur, quod in corpore humidi fœtus possint esse tot fuliginosi humores, qui possint esse materia tot pilorum. Mihi vero nihil impossibile videtur : quandoquidem fœtus necessarios & convenientes partibus generandis humores trahit è corpore matris, etiamsi in se non habeat. An cornua & ungulæ possint produci, magis dubium est. Perfecta cornua & ungulas producere est impossibile : osseas autem aliquas eminentias in capite exstantes, quales in monstro illo Indico protuberasse commemoravimus, vel ungues crassos, densos, oblongos, non vide-

tur impossibile. Vidi enim alias, quibus ungues in pedibus tanta longitudine & crassitie excrescebant, ut cornibus caprarum similes fierent, & serris per intervalla amputari deberent. Multo minus possibile videtur concham testaceam loco capitis in exemplo 10. productam fuisse, de quo infra statim dicemus.

Dico sexto, propter phantasiam posse mutari membrorum aliquorum quantitatem. Et sic credo verum esse potuisse, quod habetur in exemplo 15. mulierem intuitu picturæ magnum caput habentis potuisse fœtum cum magno capite producere. Et eadem ratione puto, quod quæ videret hominem habentem magnum crus, magnum brachium, enormem nasum, posset simili vitio affectum fœtum procreare. Archangelus Piccolomineus in prælectionibus Anatomicis lect. 1. dicit phantasiam posse fœtum immutare quoad colorem & figuram partium, sed non quoad situm aut quantitatem earum: sed non video rationem diversitatis, cum unum sit æque difficile ac alterum. Quidquid enim phantasia facit, facit immutando & dirigendo conformatricem: tam bene autem potest eam dirigere & seducere ad male conformandum partes secundum quantitatem, quam secundum figuram; & conformatrici perturbatæ & seductæ æque facile est errare circa quantitatem, quam variare figuram.

Dico

Dico ſeptimo, videri numerum poſſe mutari. Sic ſi mulier perterrita fuiſſet à monſtro habente quatuor brachia, aut quatuor pedes, aut unum tantum, non videtur eſſe impoſſibile, quod prolem aliquo etiam numeri vitio laborantem producere poſſet. Non credo tamen quod poſſet producere cum quatuor cruribus, aut quatuor brachiis, aut duobus capitibus perfectis, &c. quia non credo, quod in tantum conformatrix à phantaſia abduci poſſet; ſed ſolummodo cum levi aliqua exceſſus vel defectus adumbratione. Dato tamen quod ita fieri poſſet, certum eſt quod non poſſet fieri, niſi in primo principio procreationis, antequam jam illa membra ſuo numero naturali eſſent conſtituta, & aliquouſque perfecta. Nam quando jam perfecta eſſent, alia nova enaſci, vel jam facta deleri aut amputari non poſſent; ſicut concluſione 54. eſt oſtenſum. Sed an propter phantaſiam gemini aut tergimini fœtus fieri poſſent? Ego non credo tantam vim imaginationi eſſe adſcribendam.

Merito quæri poſſet, an poſſet etiam mutare ſexum. Credo autem quod non: tum quia non eſt tanta phantaſiæ virtus in conformatricem; tum etiam quia, ut bene quoque dixit Sylvaticus in hiſtoriis mediçinalibus hiſtoria 6. ſexus plurimum pendet à temperamento ſeminis, quod ſpecies phantaſticæ ſua virtute exemplificandi non poſſunt mutare.

His præsuppositis, facile est judicare quid de exemplis conclusione 40. allatis sit sentiendum.

Dico autem non esse exemplis magnam fidem adhibendam: quia aliquando sunt simpliciter falsa, ab authoribus memoriæ tradita ex relatu & rumore hominum, qui sæpe est falsus.

Secundo, quia multa sunt nullius momenti, sed sæpe ab hominibus & authoribus ita colorantur & exaggerantur verbis, ut videantur multum esse, quæ in rei veritate nihil sunt. Si aliqua fuit territa ab imagine diaboli, & peperit prolem parum deformem, aut fœdi coloris, statim dicitur peperisse prolem forma diaboli: alii adjiciunt habuisse cornua; alii caudam. Et sic quæ in re non fuit nisi parum turpis, clamoribus hominum fit tota diabolica. Sic de multis aliis est censendum.

Tertio; multæ sunt deformitates monstrosæ fortuitæ & casuales, non profectæ ab imaginatione, quæ tamen à mulierculis adscribuntur imaginationi. Sic contingit sæpissime mulieres nullius terroris, desiderii aut fortis imaginationis conscias, parere proles aliquas notis, aut maculis, aut deformitatibus affectas; quas quando vident, admirantes, & nescientes causam earum, tum demum incipiunt cogitare, an nihil forte fuerint tempore suæ graviditatis imaginatæ: & tamdiu rev ol-

revolvendo quærunt, donec aliquam sibi persuadeant aut effingant imaginationem, cui eas adscribant; etsi revera illa non fuerit earum causa. Et sic imaginationi non adveniunt notæ, sed notis ipsis affingitur imaginatio.

Quarto; suspicandum est ejusmodi signaturas sæpe esse supernaturales & miraculosas, vel diabolo eas inducente, vel Deo propter hominum castigationem immittente. Et sic forte signaturæ prolium in exemplis 8. 9. & 12. in quibus matres produxerunt proles diabolo similes, fuerunt ultiones & castigationes divinæ, petulantiam & impietatem parentum in filiis castigantes.

Quinto; quia sæpe subest alia causa; & sæpe similitudo est naturalis profecta ab ipso genitore: sed quia genitor est illegitimus, ab ipsis matribus, & sæpe etiam medicis earum honori studentibus, imaginationi adscribitur, ut earum improbitas & adulterium occultentur. Et ita potuit forte in exemplo tertio Æthiopissæ, quæ albam prolem peperit, & in sexto, in quo alba genuit Æthiopem, accidisse.

Porro de singulis in particulari ita judico. De primo & secundo judico, non esse verum, mulierem intuitu alicujus pulchræ picturæ posse producere prolem similem ei. Si hoc esset verum, picturæ essent caræ, & in magno pretio, & nulla jam mulier haberet

deformes proles. Illum enim aſpectum deliberatum picturæ non ſequitur ſubita & vehemens animi paſſio, & ideo non poteſt ſignare.

De ſecundo, dico Heliodori hiſtoriam eſſe fictam, & ideo illius exempli nullam vim eſſe: vel, ut dixi, prolem forte fuiſſe ex adulterio, ex patre albo.

De quarto, dico videri fabuloſum.

De quinto, poſſibile eſſe, & oſtendere vim imaginationis.

De ſexto, judico eſſe ſupra vim & potentiam phantaſiæ, & credo non eſſe verum: nec D. Hieronymum mendacii arguo, quia ipſe hoc tantum ex aliis, & non à ſeipſo, refert. Forte tamen accidit per adulterium cum ſervo aliquo Æthiope, cujus amore forte mater fuerit detenta. Alii dicunt forte ex humoribus corruptis in corpore fœtus accidiſſe: ſed ſunt nugæ, nec ita poſſunt corrumpi in corpore humores, ut ex iis fœtus niger fieri poſſet: prius enim fœtus extingueretur, quam talis evadere poſſet. Alii putant forte accidiſſe, quod aliquis in familia fuerit Æthiops, avus proavuſve, cujus ſimilitudo in nepote revixerit: ut in aliis factum aliquando fuiſſe Ariſtot. 7. hiſtor. animal. 6. & Solinus Polyhiſt. cap. 2. referunt. Sed non credo ſic obliteratam in filio ſimilitudinem, in nepote reviviſcere poſſe. Quidquid ſit, vix credo vi imaginationis fieri potuiſſe.

Ad

Ad septimum dico, possibile esse quod quoad pilos, & deformitatem coloris, & ungues magnos, & etiam figuram facici, aliqualem cum urso similitudinem habuerit: non est tamen credendum, quod habuerit veram & perfectam. Quod si habuisset, quis scit an; sicut in palatio Ursinorum erant picturæ ursorum, non fuerit etiam ipsum animal verum, cum eoque mulier ipsa rem habuerit

Ad octavum & nonum & duodecimum dico, forte deformitatem fuisse levem secundum colorem, aut aliquos pilos, ungues majusculos, & forte aliqualem etiam carneam aut osseam in capite & aliis partibus excrescentiam speciem cornuum, peræ, cinguli, nolæ referentem, & exaggeratam rumore vulgi, & ve bis authorum, & sic fuisse possibilem. Sed si fuerit terribilis, & cum maximo recessu à forma humana, cum veris cornibus, vera cauda, ungulis, perfecta nigredine, &c. dico non fuisse naturalem, sed miraculosam, & à Dei justa castigatione profectam. Nam formatrix non habet potestatem cornua, caudam & ungulas producendi, nec ordinem ullum ad figuram diabolicam.

Ad decimum dico, me non credere. Quia enim ipse erat senex, & historia erat vetusta, ob cujus vetustatem non poterat facile ab aliquo redargui, ideo tum in illa, tum in aliis, quas aliquando commemorabat, sæpe erat

valde infelix conjiciendi veritatem. Deus sit animæ ejus propitius.

Ad undecimum, videri casu, & non virtute imaginationis factum fuisse. Saltem virtute imaginationis non accidit quod bini producerentur, sed tantum quod capitibus connati. Nam, ut conclusione 54. est ostensum, tempore prægnationis, id est, quando jam unus fœtus est descriptus, & aliquousque ejus conformatio est progressa, non potest amplius numerus mutari.

Ad decimumtertium, videri non esse verum, vel fuisse casuale, & male virtuti imaginationis adscriptum.

Ad decimumquartum, difficile esse creditu, partes quæ antea erant conformatæ integræ, superveniente postea imaginatione, potuisse à natura sejungi & dividi vero vulnere. Quo enim cultro natura divisit eas? Si in hora conceptus, aut paulo post, antequam fœtus fuisset conformatus, id contigisset, fieri equidem potuisset: at quia post contigit prægnanti, videtur impossibile fuisse.

Ad decimumquintum dico, esse possibile.

Ad decimumsextum, vel fuisse falsum, vel fuisse casuale; nulla autem ratione virtute imaginationis contingere potuisse. Numerus enim fœtuum vel non potest à phantasia mutari, vel saltem non potest mutari tempore prægnationis, ut conclusione 54.

est

est ostensum. Et quomodo desiderium trium morsuum in humero pistoris potuisset causare tres fœtus? Potuisset quidem in fœtu uno causasse tres cicatrices in humero, aut tria frusta carnea: at quomodo tres proles? Desiderium trium cerasorum non producit tres fœtus, sed unam aut alteram maculam in fœtu uno, cerasi similitudinem habentem. Denique, quomodo morsus tertius potuit occidisse tertium fœtum? Desiderium cerasorum negatorum non extinguit fœtum, sed maculat. Et, si tres morsus causaverunt tres fœtus, ergo tertius morsus causavit tertium fœtum, seu productionem & vitam illius: at quomodo tertius morsus potuit causasse productionem seu vivificationem, & incrementum tertii fœtus, & extinctionem ejusdem? Extinctionem non potuit causasse, nisi multis mensibus post: quia jam erat adultus cum nasceretur, & sic multis antea mensibus creverat: at quomodo imaginatio & mœstitia ex morsu tertio denegato potuit multis mensibus post fœtum extinguere? Ridicula ista sunt, & indigna fide recte philosophantis.

Ad decimumseptimum, admirandum magis esse, quam inquirendum, quomodo imaginatio & timor matris causet eundem timorem in anima fœtus.

Ad decimumoctavum, possibile esse, eoque vim imaginationis comprobari.

Ad decimumnonum, etsi parum ridiculum videatur, tamen non esse impossibile.

Ad vigesimum: fateor talia sæpissime evenire, & exinde maxime phantasiæ vim elucere.

Ad vigesimum primum, casu labrum fœtui illi defuisse, non vi imaginationis. Quomodo enim absterso sanguinis à labro causaret defectum labii? causare potuisset labium sanguinolentum, sed non nullum.

Ad vigesimum secundum respondeo, fieri potuisse, quod illius mulieris pectori adnata fuerit aliqua informis patticula carnis, ruditer aliquam lacertam aut animalculum adumbrans; sed imprimis non potuit fuisse lacerta cum perfecta configuratione; quia formatrix hominis non habet scientiam conformandi lacertas. Secundo, non potuit fuisse nata nec postremis mensibus, nec immediate ante partum: nam postremis mensibus, cum jam corpus sua cute firmiter est circumscriptum, nihil potest amplius tale enasci ex ea; & quando enasci posset, non ita brevi tempore nasci posset.

Ad vigesimum tertium, vigesimum quartum, vigesimum quintum, dico esse possibilia & notoria, & ex eis phantasiæ vires maxime elucescere.

Ad vigesimum sextum, fuisse supernaturale, ut supra dictum est; tamen ex eo satis probari, animalia per imaginationem naturaliter

taliter posse signare, & hoc ex dictis & scivisse sanctum illum virum, & ex illa scientia eum id experiri voluisse: quanquam sic signasse solo intuitu virgarum decorticatarum, fuerit supernaturale.

Ad vigesimum septimum dico, possibile fuisse.

Ad vigesimum nonum & trigesimum primum, esse nugas, & propterea tali arti eventum non respondere.

Ad trigesimum, non posse habere veritatem: primo, quia imaginatio gallinæ excubantis nihil amplius ovo jam genito impertit, ut conclusione 54. est ostensum; secundo, quia formatrix ovi non habet ordinem ad figuram aut formam essentialem serpentis, & ideo non potest producere eam.

Ad trigesimum secundum dico, in illis montibus animalia non esse alba propter imaginationem nivis, sed à temperamento & natura loci. Hoc est manifestum; primo quia scribit Olaus Magnus lib. 18. hist. Septent. c. 8. & Ortelius in Livonia, quod cum toto æstivo vernoque tempore lepores in regione septentrionali pristinum colorem servent, post autumnum ac primæ nivis casum colorem mutent, & ex fuscis fiant albi; ergo non fiunt albi propter matrum in conceptu imaginationem. Secundo, quia etsi Plinius lib. 8. c. 52. dicat in Alpibus inveniri albos lepores, non dicit tamen hoc esse propter

imagi-

imaginationem ; ſed potius , quod aliqui putent eos nive veſci. Eſt alia quæſtio,

QUÆSTIO XXIII.

Cur phantaſia non ſemper imprimit in fœtum res imaginatas eodem modo , ſed ſæpe tam diverſis.

DOcet enim experientia , quod eaſdem res ſæpe exprimat modo diverſiſſimo. Interdum tantum ſecundum colorem, interdum ſecundum figuram , interdum ſecundum quantitatem, interdum per ſubſtantiæ corporeæ aggenerationem, &c. Sic aliquando ceraſa , fragra , mora deſiderata, exprimit ſolo colore & macula aliqua rubicunda ; interdum producta quadam ubſtantia carnea, rotunda, colorata , vel non colorata ; uti ſupra in exemplis, & non raro alias factum audivimus. Sic animalia , à quibus mater terrorem concepit , interdum exprimit ſola cicatrice in fœtu producta, ictum vel morſum referente ; interdum pilis productis , ſimilitudinem habentibus cum pilis illius animalis , ut ſæpe apparet, cum mulieres à gliribus aut muribus perterritæ fuerunt. Interdum exprimit ſimilitudine figuræ faciei , ſic ut facies habeat conformationem ſeu figuram ſicut facies illius animalis ; ut apparet in exemplo 23. concluſionis 40. mulieris à ſimia deterritæ , & in exemplo concluſionis 53. à capite porcino ſibi in

bi in mensa ministrato verecundatæ. Aliquando exprimit totius corporis assimilatione; ut apparet in exemplis 8. 9. & 12. mulierum à figura diaboli perterritarum, quæ fœtus produxerunt toto corpore ad similitudinem diaboli conformatos; ut in exemplo 7. mulieris quæ toto corpore ad similitudinem ursi figuratum produxit. Interdum exprimit producta substantia carnea, illius animalis similitudinem gerente; ut in exemplo 22. de lacerta carnea. Interdum exprimit ratione diversissima, causando in fœtu quandam proprietatem odio habendi illud animal à quo mater deterrita fuit; ut patet in exemplo 17. &c.

Conclusio LVI. Hujus exactam dare rationem est impossibile, possunt tamen variæ causæ assignari.

Sunt enim illa secreta naturæ valde stupenda, quæ admirari potius licet, quam investigare. Imprimis potest hoc pendere à tempore quo imaginatio contingit. Nam si illa contingat in conceptu, vel statim post, ante omnem conformationem, videtur quod fœtus secundum se totum possit conformari ad similitudinem animalis vel picturę de quibus fuit imaginatio: si autem contingat sero & tempore prægnationis, non potest. Ratio est, quia tum corporis figura necdum est descripta, & ideo potest tum adhuc describi ad similitudinem rei imaginatæ: quando

vero

vero jam descripta est, non potest amplius mutari, sed solum potest fieri mutatio circa colorem, pilorum proventum, partis alicujus magnitudinem, aut aliquid carneum informe adnascens.

Potest hoc etiam pendere à modo quo formatrix à speciebus phantasticis afficitur, & ab animi passionibus perturbatur. Nam si species & passiones fuerint fortes, & conformatrix abeis vehementer fuerit affecta, potuerit secundum plurima accidentia, & intensius, & secundum plures partes exprimere rem imaginatam, quam si leviter tantum affecta fuisset.

Tertio, potest pendere à materiæ ad hanc vel illã rem exprimendã idoneæ præsentia vel absentia. Sic, si mater ab urso aut aliqua figura diaboli terreretur, si adesset materia ad totum corpus pilis conserendum, nigro colore inficiendum, caudam vel ungulas producendum, idonea, possent forte illa in fœtu produci. At si materia desit, non possunt: sed vel tantum macula produceretur, vel cicatrix, vel figura fœtus secundum aliquid mutabitur, &c.

Quarto, à modo etiam quo phantasia res imaginatas apprehendit. Prout enim illæ in oculos aut phantasiam aliquando sub una magis qualitate quam sub alia incurrunt, fiet quod fœtus magis secundum unam quam secundum aliam qualitatem assimilabitur. Sic, si mater deterrita à sele, cane, simia, aut alio

ani-

animali, magis illud animo conceperit ut lædens aut mordens, forte magis fœtum signabit aliqua cicatrice aut nota vulneris; si ut turpe & fœdum, & pilis suis aut colore adversum, forte magis signabit pilis aliquibus productis, aut macula aliqua colorem illius referente; si ut horrendum aut informe rostrum habens, forte ita signabit, ut secundum faciei figuram illi assimiletur; si totius animalis figuram magis animo conceperit, forte secundum totius corporis figuram ipsum transformabit. Subintellige, inquam, modo tempus, quo singulæ notæ fieri possunt, non refragetur. Iam enim dictum est, non quovis tempore quasvis, sed certo tantum fieri posse. Omnium facillime phantasia exprimit secundum colorem & maculas aut pilos; tum quia illa facilioris sunt productionis, tum quia quovis tempore produci possunt. Quæritur ultimo

QUÆSTIO XXIV.

Cur non eidem semper parti, sed diversis notæ inducantur.

ETenim mulier à lacerta perterrita fœtum signavit in pectore: plurimæ à mure aut glire perterritæ, signant maculis pilosis in vultu: una desiderio cerasi vel mori affecta signabit macula aut excrescentia carnea genita

nita in vultu, alia in dorso, scapulis, aut alia parte.

Conclusio LVII. Plerumque notæ illi parti imprimuntur quæ fuit in imaginatione.

Pro quo est sciendum, quod non tantum species repræsentant rerum qualitates, sed connotant etiam situm & partem in qua illæ sunt. Hinc, sicut dirigunt conformatricem ad exprimendum rerum qualitates, ita simul dirigunt eam ad exprimendum illas eodem situ, & in eadem parte. Hinc est quod mulieres frequenter signant fœtus eadem parte, qua in re externa vitia vel deformitates perceperunt. Sic in exemplo 13. mulier deterrita ab homine minitante ei ictum in caput, produxit fœtum vulnus in capite habentem: deterrita à pictura habente magnum caput in exemplo 15. produxit fœtum habentem magnum caput: quæ deterrita fuit propter capitis sui contra caput alterius mulieris collisionem in exemplo 11. produxit duos fœtus capitibus connatos: quæ deterrita fuit à lacerta in pectus insiliente in exemplo 22. produxit fœtum lacertam pectori adnatam habentem: quæ perterrita fuit à diabolo cornua habente in exemplo 9. & 12. produxit fœtum in capite cornutum: quæ imaginata fuit imaginem Ioannis Baptistæ toto corpore hirsuti, toto corpore hirsutum fœtum produxit.

Verum non semper notatur fœtus ea parte quam

te quam connotat ipsa species phãtastica, sed potest signari, & frequentissime signatur ea quam mater peculiariter imaginatur, seu in quam in illo instanti imaginationis cogitationẽ dirigit: illa est facies; & ideo sæpissime fœtus in facie signatur magis quam in alia parte. Nam, quia matres sciunt à forti imaginatione, desiderio & terrore, fœtus suos frequenter signari; ideo, cum sic aliquid imaginantur, statim metuunt ne ejusmodi signatura incidat in faciem sui fœtus; & sic imaginando aliquam rem externam, per quandam reflexionem coimaginantur faciem sui fœtus: & hinc signatura sæpissime incidit in faciem ejus.

Alia causa est, quia natura in nullius partis conformatione tanto utitur artificio, quanto in conformatione faciei humanæ, & ideo illius conformationi est maxime intenta: & ideo, cum sic dirigitur à phantasia, ut aliquam rem externam velit imitari & exprimere, maximè illam exprimit in facie.

Facit etiam ad hoc ut signatura magis in una quam in altera parte eveniat aliquid, materiæ ad signaturam necessariæ præsentia magis in hac quam in illa parte: tum etiam impetus humorum, qui per animi passiones agitantur, fluens magis in unam quam in aliam partem; ex quo unius partis conformatrix magis quam alterius debilitatur. Nam, quia passiones quæ imaginationem comitantur,

tantur, non semper sunt eædem, nec eodem præcisè modo obveniunt; non eundem semper faciunt præcisè humorum & spirituum motum: sed hæ magis in has, aliæ in alias partes eos vibrant.

Dicit Levinus Lemnius lib. 1. cap. 4. de occult. nat. mirac. & est communis opinio mulierculârum, signaturam transferri in aliam partem, ut femora, nates, si terrore aut desiderio jam affectæ manibus abstergant faciem, & illas partibus illis applicent: sed merito ridet hoc Hercules Saxonia 4. cap. 30. sui Panthei, & ego cum ipso; asseroque, ejusmodi faciei absterſionem aut attactum aliquarum partiũ, nullam vim ad signandum hanc magis quam illam partem habere.

Atque hæ sunt in universum vires quas phantasia & in proprium, & in alienum corpus potest exercere. Restat ut ad argumenta in principio quæstionis 4. allata, quibus nimia ejus in utrumque activitas probabatur, respondeamus.

Ad primum itaque respondeo; communem vulgi opinionem falsam esse, si putet phantasiam per se talem activitatem habere; sed si intelligat eam per accidens esse causam multarum permutationum, fateor esse veram, ut jam dictum est.

Ad authoritatem Aristot. responsum est conclus. 20. & concl. 24 resp. ad 1. & concl. 25. resp. ad 1.

Ad

Ad authoritatem Avicennæ, Algazelis, &c. respondeo; phantasiam per accidens bene esse causam signaturæ fœtus, sicut concluſ. 27. est ostensum, sed non per se primo: eam autem habere virtutem in remota agendi, & ea afficiendi vel propria virtute, vel virtute à cœlis derivata, dico esse falsum, ut concl. 26. & 39. est ostensum. Etenim phantasiam elementa mundi posse perturbare, hominem remotum fascinare, ex equo dejicere, hominem sine matre, plantam sine semine generare, fegetes transferre. ridicula sunt, & philosopho indigna: sed si quæ talia admiranda opera aliquando ab hominibus, ut Apollonio Tyanæo aliisve, perpetrata fuerint, non virtute imaginationis, sed arte magica facta fuerunt.

Quod sanguis interfecti in præsentia occisoris è corpore erumpat, non est naturale: ideoque non fit vi imaginationis, sed causæ supernaturali est adscribendum; vel Deo, vel angelis iniquitatem interfectoris detegentibus & ulciscentibus, vel diabolis aut innocentes falso accusare, aut nocentes ad desperationem perducere conantibus.

Quod reliquiæ sanctorum aliquando sanitatem colentibus pariant, non fit virtute confidentiæ & imaginationis quam ægri cultui illi adhibent, ut impie dicit Pomponatius; sed miraculo, & gratia Dei singulari, remunerantis honorem qui sanctis ejus exhi-

exhibetur. Quod Salutatores illi Hiſpanici admiranda aliqua præter ordinem naturæ præſtent, id vel faciunt arte magica, vel gratia aliqua ſingulari à Deo familiis aliquibus conceſſa. Ludovicus autem Mercatus, regius medicus, quem, utpote Hiſpanum, & in Hiſpania degentem, certum eſt non ignorare quid de illis hominibus ſit, tomo 1. ſuorum operum lib. 2. claſſ. 3. quæſt. 168. art. 4. dicit opera eorum ficta eſſe, plena ſuperſtitione diabolica, & à religione catholica aliena.

Ad authoritatem Hippoc. D. Thomæ & aliorum dico, eos vera dicere, ſed eſſe intelligendum phantaſiam non facere ea per ſe, ſed per accidens, mediantibus aliis animæ potentiis, ut jam dictum eſt.

Ad ſecundum argumentum à ratione deſumptum reſpondeo; intellectum & phantaſiam fieri omnia ſpiritaliter & modo quodam intentionali, quatenus recipiunt rerum omnium ſpecies, & ab iis informantur, ſed non per hoc poſſe realiter agere. Quod enim tantum aliquid eſt intentionaliter, illud non poteſt illud ipſum in alio facere realiter: ut concluſ. 25. oſtenſum.

Ad tertium reſpondeo; verum eſſe, quod multæ res naturales habeant admirandas virtutes, & quod ſic anima ſeu corpora animata merito etiam debeant habere virtutes longe illis admirabiliores: ſed non propterea ſequitur, quod debeant habere illas quas Avicenna

cenna & alii imaginationi adscribunt, res scilicet externas alterandi vel permutandi; sed sufficit quod habeant alias, nempe potentias cognoscitivas, sensum, motum, intellectum, & voluntatem; quæ sunt virtutes omnium aliarum rerum naturalium virtutibus longe excellentiores & diviniores. Et etsi aliquæ animæ aliis essent excellentiores, quod tamen plerique scholastici negant, cum substantiis non videatur competere magis & minus; tamen propterea illæ non possent naturaliter habere vim aliquam alterius generis, quam omnes reliquæ animæ haberent. Possent quidem in eodem genere potentiarum habere potentias nobiliores potentiis aliarum animarum, per quas possent vel perfectius videre, audire aut intelligere, quam aliæ animæ: sed non talem per quam possent fascinare, elementa turbare, externa corpora alterare vel loco movere.

Ad quartum respondeo; nec sola visione, nec solo attactu, nec sola verborum prolatione, posse ullos effectus ad extra physice produci, cum illæ actiones sint immanentes: sed si qui tales aliquando ejusmodi actiones sint secuti, eos vel ope diabolica evenisse, vel ab hominibus gratia quadam peculiari divinitus data perpetratos fuisse.

Ad exempla ex Avicenna vel Augustino desumpta, supra conclusione 11. est respon-

sum,

ſum, & inſuper adhuc aliter reſpondeo; illa non virtute imaginationis, ſed virtute aliarum potentiarum naturalium, ſeu vegetativarum, accidiſſe.

Ad exemplum de ſubita canitie & morte reſpondeo; imaginationem illas non cauſaſſe, vel ſaltem non cauſaſſe per ſe, quod ibi quærebatur; ſed mediante maximo timore, quem non eſt dubium maximas in corpus perturbationes inducere poſſe.

Atque hæc ſunt quæ in hujus materiæ tanta obſcuritate licuit inveſtigare; quæ ut lector æqui bonique conſulat, rogo.

FINIS.

INDEX

Rerum quæ in hoc tractatu continentur.

A.

Accidens unum non posse recipi in alio 143
Actiones immanentes non esse act. vas ad extra 85
nihil Alterare seipsum 19
Amuleta & Appensa plerumque esse superstitiosa 175
Anima unius hominis an sit perfectior alterius, 80. *an sit activa* 12. & 15
Animam conjunctam corpori non esse totale agens suarum actionum, sed tantum particulare, 13. *esse principium agendi principale in corporibus animatis*, 14. *non videre, audire, ratiocinari, sed hominem*, 14. *primo & per se, directe ac formaliter non habere vim alterandi*, 24. *non posse suum corpus proprium per se primo seu directe alterare*, 19 *per accidens posse corpus proprium variis modis alterare*, 21. *alterare corpus proprium applicando activa passivis*, 23. 28. *nihil alterare in corpore nisi alimentum*, 36. *per accidens alterare mediante motu humorum & spirituum*, 69. *habere etiam vim alterandi mediantibus qualitatibus alterativis, tanquam instrumentis*, 29. *ut causam moralem posse esse causam multarum alterationum in corpore.* 62
Animata à seipsis moveri. 17

Animam movere corpus ſuum, quod informat, motu locali, 17. *movere ſuum corpus proprium, quod informat, partim per potentiam motivam voluntariam, partim per naturalem*, 65. *corpora vero quæ non informat, per potentias motrices naturales*, 67. *in corpore movere aliqua motu materiali, aliqua motu ſpirituali*, 39. *poſſe etiam movere quod non informat*, 38. *non poſſe corpora remota ac externa per ſe primo ac directe movere*, 53. *non poſſe etiam alterare*, 59. *ſeparatam eſſe totale agens ſuarum actionum* 12

Anima ſeparata an habeat activitatem quoad tres ſpecies motus, ſcilicet alterationem, auctionem, generationem 13

Animæ ſanctorum redeuntes ad hunc mundum an poſſint hominibus morbos, aut ſanitatem inferre. ibid ſeparatæ redeuntes in hunc mundum, an poſſint propria virtute ſibi corpora formare, quibus aſſiſtant ibid.

Animalia in montibus nivoſis unde alba 323

Antiperiſtaſim non fieri per ſpecies caloris reflexas

Appetitivam potentiam non eſſe efficientem cauſam motus voluntarii 95

Appetitus & phantaſia quomodo ad motum localem concurrant 100

Attentionem acuere actiones ſenſuum 165

Avicenna & ſequaces quantam vim animæ adſcripſerint 52

omnes fere corporis Actiones, & omnia fere corporis

peris organa esse facta ad nativi caloris conservationem. 26

B.

Brutorum phantasiam tam bene signare, quam hominum 29

C.

Causam principalem non posse elevare activitatem causæ instrumentalis, nisi secundum naturam suam, non autem contra eam 126

Characteres nullam vim recipere ab influxu cœlesti 146

Circumforaneorum fallacia & deceptio 168

Cœlos non moveri à formis assistentibus aut Angelis, sed à formis intrinsecis, & à natura, 18. *non influere in hæc inferiora, nisi vel effectus universales, vel in omnia,* 144. *non influere in animam, nec in potentias ejus,* 143. *in dæmones agere non posse* 146

Cognitionem duplicem esse, aliam per instinctum, aliam proprie dictam 255

Concoctricem potentiam solam inter omnes animæ potentias esse alterativam 36

Confidentia ægri de medico an faciat ad sanitatem, & quomodo 174

Conformatricem esse potentiam animæ fœtus, non parentum, 248. *esse veram & proximam efficientem causam omnium qualitatum & na-*

tarum in fœtu 190 & 240
Cruentationem cadaverum non esse naturalem 331

D.

DÆmones à cœlis assici & cogi non posse, 146 Desiderium maxime signare fœtum, 280. ipsum an causet per se signaturam, an indignatio ex negatione rei desideratæ, 289. cur magis signet quando id quod desideratur negatur, quam quando conceditur 282
Deum ad miracula bene uti causis naturalibus supra naturam, sed non contra naturam 293

F.

FAscinatio an solo attactu, visione vel locutione fieri possit 81
Fœtum in sui conformatione omnium membrorum rudimenta simul acquirere. 259

G.

GAllinæ incubantis imaginatione non posse pullum amplius signari. 393

H.

HOmines singulares proprietates & virtutes habentes. 81

I.

IMaginatio omnis cur non signet, 297. de pe-

ste quomodo sit causa pestis 163
Imaginationem reflexam magis signare quam simplicem 267
Imaginationis virtute an gemini fieri possint, 306 *virtute imaginationis an possit sexus in fœtu mutari*, 315. *virtute imaginationis an possit Æthiops produci* 313
Instrumentum debere ad nutum causæ principalis dirigi posse. 45

L.

Lippitudo quomodo intuitu contrahatur 186
Lumen magnum an dissipet spiritus localiter movendo 137

M.

Maculas & colores frequentius evenire in fœtu, quam alias notas 327
Melancholiam morbum non semper corporis, sed sæpe solius animi vitio evenire 176
Membra omnia fœtus simul incipere conformari 259
Motus voluntarii causa an sit potentia appetitiva, an phantasia, an locomotiva peculiaris 93
Mulieres fortes & prudentes raro fœtus suos signare 278

N.

Natura non esse principium activum alterationis, nec generationis, aut corruptionis in

eo cujus est natura, 18, 19. nullius motus magis esse principium in rebus physicis, quam ocalis 18
Notas in fœtu non esse omnes ab imaginatione, 316. in fœtu alias esse communes, alias peculiares & determinatas ac imaginatas, quæ proprie dicuntur signaturæ 225
Notarum & accidentium omnium fœtus veram & proximam efficientem causam esse conformatricem, non phantasiam, 190. mirabilium ab imaginatione causatarum exempla 197, &c.

O.

OPerationem in rebus sequi essentiam earum 15.
Ova in Ægypto & alibi quomodo sine gallina excubentur 303.

P.

PArtes similares minime ope fibrarum alimentum trahere, sed temperamento 44
Passiones animi fortificare species phantasticas 271
Passiones animi turbare potentiam conformatricem 270
quæ Passiones animi faciant phantasiam magis signare 280
Passiones animi non semper movere humores & spiritus eodem modo, 284. omnes magnas & cele-

celeres posse signare, 288. animi non facere eosdem effectus in omnibus corporibus, 287. animi certas partes & certas potentias magis afficere quam alias ibid.
Patris phantasiam tam bene signare quam matris 289
Phantasiam & appetitivam esse diversas potentias, 94. per se & directe non esse activam, 94. per se non habere vim alterandi, 111. alterare valde per accidens, 72. non esse causam efficientem motus voluntarii 93. non esse causam principalem, sed tantum instrumentariam, effectuum qui ei adscribuntur, 11. magnam vim habere in corporis permutatione, 147. afficere corpus per accidens, movendo alias potentias quæ ipsum afficiant per se, 148. corpus afficere mediantibus animi passionibus, 151. corpus afficere mediante motu humorum & spirituum, 154. non movere humores & spiritus per se, 102, &c. humores & spiritus saltem dirigendi vim habere, 107. fœtum signare dirigendo potentiam conformatricem, 156, & 240. non simplicem, sed cum animi passionibus conjunctam signare, 261. posse diversissimas notas in fœtu causare, 304, &c. non posse speciem fœtus mutare, 309. non posse membra in fœtu jam cōstructa annihilare, 302. brutorum tam bene signare quam hominum, 292. patris tam bene signare quam matris, 289. signare & tempore conceptus & tempore graviditatis, sed magis graviditatis, 296. non

esse per se causam morborum 161
Phantasiæ vires secundum Avicennam & alios 75
Phantasia & appetitus quomodo ad motum localem membrorum concurrant, 100. *an possit excitare appetitivam*, & *quomodo*, 152. *an possit fœtum signare* 190
quomodo causet signaturas in fœtu, 208. *non causare per se effective* 212
quomodo Phantasia dirigat conformatricem, 244. *dirigere exemplariter.* *ibid.*
Phantasia an possit morbos curare, & *quomodo*, 169. *an possit vim recipere à cœlis*, 138. *an res externas & remotas afficere possit*, 177
Potentias cognoscitivas non esse per se activas, 84 *cognoscitivas non esse alterativas, nisi per accidens*, 72. *nullas animæ esse alterativas præterquam vegetativas* 63
Potentia non cognoscitiva an possit agere ad exemplar 251
Potentiam motivam esse duplicem, voluntariam & naturalem, 64. *motivam voluntariam non esse alterativam, nisi valde per accidens*, 71. *motivam naturalem per accidens posse alterare* *ibid.*
Proprietates admirandæ aliquorum hominum suum corpus pro libito afficientium, 49. *occultæ & virtutes admirandæ aliquarum rerum naturalium & hominum.* 81

Q.

QVales & quantas notas imaginatio facere poſſit 304
qualitates primas agere modo nobiliore in virtute animæ, quam virtute propria 32

S.

SAltatores Hiſpanicos facere opera admiranda non vi naturali, ſed diabolica 372
Signatura ut fiat, multa requiri 277
Signaturas frequentius evenire in corporibus diſpoſitis ad generationem ejus quod eſt imaginatum, quam in aliis, 279. varias fieri pro varietate humorum in corpore abundantium: quæ ab imaginatione fiunt, nunquam poſſe eſſe valde monſtroſas aut enormes, 308. non ſemper eodem modo, & ſecundum eadem accidentia fieri, ſed diverſa 328
non omnes Signaturas quovis tempore fieri, & quæ quo tempore fieri poſſint 299
Signaturas magis circa tertium menſem fieri, & cur, 303. fieri frequentius ab imaginatione habita tempore prægnationis, quam conceptus 297
Signaturarum majorem diverſitatem contingere ab imaginatione habita tempore conceptus, quam prægnationis 325
Signaturas notabiliores & evidentiores fieri ab ima-

imaginatione tempore conceptus, quam prægnationis 299
Signaturarum majorem diversitatem contingere ab imaginatione forti quam debili 326
Signaturas non semper eisdem, sed diversis partibus imprimi, 371. *frequentius in facie fœtus, quam in alia parte evenire* 328
Signaturæ an transferri possint absterſione manus, & ejusdem ad aliam partem applicatione 330
Signaturam ovium Iacob fuisse miraculosam 267
Signaturas proprie dictas, & notas determinatas ac imaginatas, facere phantasiam dirigendo potentiam conformatricem 20
Speciei intentionalis essentiam & finem esse repræsentare 124
Species intentionales non esse ejusdem essentiæ specificæ cum suis objectis 134
Species intentionales in anima an habeant virtutem alterandi, 120. *intentionales an possint realem qualitatem producere similem ei à qua fluxerunt* 216
Species intentionales tantum esse activas actione intentionali & perfectiva, non reali aut corruptiva, 125. *rerum habere rerum virtutes,* 263. *phantasiæ quomodo ad uterum perveniant,* 273. *phantasticas debere ipso momento imaginationis utero communicari ut imaginatio signet* 274
Spiritus & sanguinem, & humores in corpore ab anima

anim.a moveri per se primo specialiter, ac per nudum imperium 42
Spiritus an ulli ex oculis vibrari & emitti possint 179
Spiritus & sanguinem non moveri materiali seu corporali partium in quibus sunt protrusione aut expressione, sed spiritualiter 43
Sublunaria corpora quomodo gubernentur à cœlestibus 145
Substantiam non agere immediate per seipsam, sed per suas potentias 63
Sympathiam potentiarum animæ fundari in identitate radicis 247

T.

TErrorem esse maximum omnium affectuum animi 282
Terror quomodo moveat humores & spiritus 284
Terrorem movere humores & spiritus superne deorsum ibid.
Terrorem maxime causare signaturam 282

V.

VIsione, tactu, loquela nullam posse fieri fascinationem 333
Visionem non fieri per emissionem, sed receptionem 185

FINIS.